Paulus Graeber

De poetarum atticorum arte scaenica

quaestiones quinque

DE POETARVM ATTICORVM ARTE SCAENICA QVAESTIONES QVINQVE

DISSERTATIO INAVGVRALIS

QVAM

AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS

CONSENSV ET AVCTORITATE

IN ACADEMIA GEORGIA AVGVSTA

AD

SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

PAVLVS GRAEBER

RHENANVS

GOTTINGAE

APVD DIETERICHIVM

MCMXI

De dissertatione probanda ad ordinem philosophorum rettulerunt F. Leo et P. Wendland.

Examen rigorosum habitum est anno MCMXI a. d. IV. Kal. Quintiles.

OFFICINA ACADEMICA DIETERICHIANA TYPIS EXPRESSIT.

Parentibus carissimis

S.

Conspectus.

Editiones in versibus dinumerandis usitatae:

Aeschyli tragoediae ed. Arturus Sidgwick.

Sophoclis tragoediae ed. Augustus Nauck.

Euripidis tragoediae ed. Gilbertus Murray.

Aristophanis comoediae ed. Augustus Meineke.

Menandrea ed. Alfredus Koerte.

I. De dialogi in Aeschyli tragoediis compositione.

In Aeschyli tragoediis totius actionis fundamentum in choro est positum, qui simulatque in scaenam processit, certo quodam modo ludum regit dramaticum. Quod iudicium non solum valet de Supplicibus et Persis, sed de omnibus Aeschyli tragoediis — praeter Promethea. Hoc in opusculo satis habeo unam maximamque rem affere adhuc immerito neglectam, quae bene nos doceat, chorus quem apud Aeschylum obtinuerit locum, unde in Sophoclis[1]) Euripidisque fabulis, quibus quidem utamur, iam prorsus deiectum videmus.

Quaevis persona primum in scaenam introiens ab Aeschylo opponitur choro; cum choro coryphaeove primum gerit colloquium seque primum notum reddit choreutis.

Ab hac lege, quam ex origine tragoediae i. e. ex chori tragici natura enatam esse apparet, bis sive potius semel poeta senex deflexit. Praeconem enim Sept. 1010 sq. cum choro non colloquentem paucis licet perstringere, cum scaenam ultimam (inde a vs. 1010) gravibus ex causis non ab Aeschylo esse fictam iam demonstratum sit[2]). Cuicumque

---

1) Cf. autem infra p. 11 sq.

2) Cf. P. Corssen *Die Antigone des Sophocles Gymnas. Programm Berlin 1898.* U. de Wilamowitz-Moellendorff *S. A. B. 1903 p. 435 sq.* Herm. Deckinger *Die Darstellung der persönlichen Motive bei Aeschylus und Sophokles Leipzig 1911 p. 23 sq.* Ceteroquin hac commentatione frugis plena, quae opusculo meo iam conscripto nuperrime publici iuris est facta, auctor quaestiones ut alio spectantes ita arte cum meis instituit cohaerentes; hic et illic data occasione (v. imprimis infra p. 53) observationes Deckingeri meis probatas commemorabo.

autem M. Wundt[1]) persuaserit hunc fabulae exitum ab Aeschylo ipso esse compositum, eum iam concessurum esse spero hanc saltem scaenam — ut de sororibus in scaenam prodeuntibus quaestionem removeam — retractatori esse tribuendam propter rationem personae novae introducendae ab Aeschylo alienam. Tum Clytaemestra in Choephoris (668) non chorum, sed Orestem statim appellat; chorus ex servis constat, quas perbene cognitas habet regina, itaque ei non opus erat chorum honoris causa compellare; ac sane dominam chorus salutabat et illa vel gestu respondebat. Accedit, quod Aeschylus rem ita fingit, ut servus Orestis iussu Clytaemestram evocet; naturam igitur sequitur poeta, quod reginam inducit statim appellantem peregrinos. Attamen hanc dialogi exstruendi rationem semel et in vitae exitu a poeta usurpatam rectius ad Sophoclis exemplum referemus, a quo non pauca didicit Aeschylus senex. Ceterum nulla exceptio invenitur, unde licentiam mihi assumpsi vocem adhibere legis.

Quin etiam — ne hoc neglexeris — viget lex, si persona nova scaenam ingreditur altera iam praesente. Haec exempla offerunt tragoediae:

Suppl. 234 Pelasgus procedit atque actutum chorum interrogans alloquitur. Chorus autem non tam respondet, etsi compositus est ex virginibus supplicibus, quibus pater ultro praeceperat, ut quam modestissimas se praestarent,[2]) et quaesiverat rex, quam ipse quaerit ex rege, quis sit. In tragoediae enim primordiis histrionis est respondere (*ὑποκρίνεσθαι*), non interrogare. Ita spectatores quoque quam celerrime de nova persona certiores fiunt. Danaus autem, qui praesto est, omnino non respicitur, nedum pro filiabus loquatur pater idemque dux[3]); semel (319 sq.) com-

1) Philol. LXV (1906) p. 357 sq.

2) Cf. vss. 194 sq. *αἰδοῖα καὶ γοεδνὰ καὶ ζαχρεῖ' ἔπη ξένους ἀμείβεσθ', ὡς ἐπήλυδας πρέπει κτλ.*

3) Cf. vss. 11 sq. *Δαναὸς δὲ πατὴρ καὶ βούλαρχος καὶ στασίαρχος τάδε πεσσονομῶν κτλ.*

memoratur, at usque ad vs. 479 neque a choro neque a Pelasgo appellatur, sed mutus astat per 256 versus i. e. per quartam totius fabulae partem[1]. „Colloquium“ regis cum Danao (vss. 480—503) nihil efficit, nisi ut Danaus, cum postea contionis eventum choro renuntiare debeat, cur abire possit, explicetur.

Item in Persis bis persona quaedam primum prodiens ilico praeter spem chorum appellat, tum demum alterum histrionem. Nuntius (249) cum choro colloquitur, nullo modo curat reginam, quam ubi primum conspexerunt principes, Persarum more humi procumbentes venerati erant. Vs. 290 Atossa, quam vocare solemus, colloqui cum nuntio incipit. Lepide intellegimus hoc loco poetam formam dialogi componendi tralaticiam sensisse quam incommoda esset; affert enim causam, qua Atossae longum silentium excusare conatur:

σιγῶ πάλαι δύστηνος ἐκπεπληγμένη
κακοῖς κτλ.

Neque aliter Darei imago primum affatur chorum (681—702); secundo demum loco se convertit ad uxorem, quae ex inferis eum elicuit. Hic perturbatione chori utentem fingit personam alteram poeta, ut colloquii, quod habet cum choro, finem faciat. Etiam Orestiae dialogi compositio vi huius legis regitur: Agam. 1577 sq. Aegisthus longiorem orationem choro impertit et cum choro loquitur, donec vs. 1654 Clytaemestra tacere desinit. Eumenid 397 sq. Athena quamquam in oratione, qua quis sit detegit, et chorum et Orestem (408 sq.) appellat, tamen priusquam cum adulescente sermocinari incipiat (436), cum coryphaeo longiorem disputationem adnectit.

In hac certa forma sermonis scaenici ordinandi pristinam tragoediam uno histrione contentam agnoscimus. Principale histrionis munus est colloqui cum choro. Et Phrynichus, quem prologi inventorem fuisse verisimile est[2],

---

1) Cf. A. Körte *Mélanges Nicole 1905 p. 297 sq.* et G. Mueller De Aeschyli Supplicum tempore atque indole diss. Hal. 1908 p. 47.

2) Cf. infra p. 56 sq.

primus fecit histrionem ante parodum chori in scaenam prodeuntem, itaque non cum choro colloquentem. Sane factum memoria dignum. Prologi personae primum chori vincula ruperunt, ipsius autem fabulae actores ut apud Sophoclem et Euripidem pedetemptim imperio chori se liberaverunt, ita apud Aeschylum erant sub eius dicione et devincti quidem lege illa gravi et severa.

In tragoediarum ipsis versibus vix quicquam potest investigari, quod illud vanum pulpiti tignis exstructi simulacrum in umbrarum regiones depellat facilius, quam quae ex ludi compositione ipsa capta est cognitio. Si histriones in altiore quadam scaena agerent, histrio novus, qui accederet, collegam eodem in pulpito iam astantem alloqui debuit, non chorum, qui infra in orchestra adesset. At quoniam histriones eadem in orchestra qua chorus agunt, novus accedens primum turbam duodecim virorum mulierumve appellat.

Sane tres tragoediae Aeschyli vetustiores (Supplices, Persae, Septem) cum in scaena simpliciore (i. e. carente aedium fronte) agantur quam Orestia et Sophoclis Euripidisque fabulae, ludi quoque scaenici alium conspectum prae se ferunt. Neque usquam pulpitum tignis instructum supponi posse [1]) neque ullum suggestum ante casam (σκηνήν) praestructum [2]), sed hanc ipsam casam esse illud, quod appellatur *πάγος* (Suppl. 189) vel *ἱκεταδόκος σκοπή* (Suppl. 713) vel *ὄχθος* (Pers. 659) quoniam in universum iam Bethius [3]) optime exposuit, observationes argumentaque eius ita tantum supplebo, ut quaeram, quemadmodum ex dialogi compositione ipsisque verbis poetae, ludus scaenicus quo modo actus sit cognoscere possimus.

Quin Danaus inde a vs. 710 stet in superiore loco, nemo dubitat, hoc testantur luculenter vss. 713 sq.:

---

1) Cf. A. Müller *Lehrbuch der griechischen Bühnenaltertümer p. 107 sq.* et P. Richter *Zur Dramaturgie des Äschylus Leipzig 1892.*

2) Cf. U. de Wilamowitz-Moellendorff Herm. XXI (1886) p. 597 sq.

3) *Prolegomena zur Geschichte des Theaters im Alterthum Leipzig 1896 p. 68—99.*

ἱκεταδόκου γὰρ τῆσδ' ἀπὸ σκοπῆς ὁρῶ
τὸ πλοῖον.

Ergo summa in casa stat; inde conspicit filiabusque nuntiat navem hostium appellentem. Quam rem consideranti non supervacaneum videtur quaerere, unde Danaus primam fecerit qua agmen regis comitumque indicat, nuntiationem (176 sq.). Ut non eandem vel similem loci significationem reperimus, quam postea (713), ita stationem suam ut significet non debemus exspectare, si quidem et filiae et spectatores suis quisque oculis quae res sit vident eaque de causa verbis non est opus. Neque, ut mea quidem sententia fert, ambigi potest, quin senex vss. 176 sq. eodem in loco altiore sit, qui vs. 713 accurate describitur. Iam ipsa nuntiatio tam large explanata, qua excipitur adventus agminis regii procul paulatim appropinquantis, tum demum firmum accipit fundamentum, cum qui nuntiat aliquid videt, quod ei, quibus nuntiatur, videre nequeant. Accedunt autem ipsa verba, quibus Danaum stare in loco edito affirmatur. Usque ad vs. 175 chorus cecinerat saltaveratque in orchestra. Saltando finem facit pater filiasque cohortatur, ut prudenter se gerant, et nuntiat, quod ipse eminus conspicatur (180 *ὁρῶ*. 183 *λεύσσω*); non interrogat, num et virgines catervam prospectent; sin autem pater cum filiabus esset in orchestra, Danaum aliquid eius modi quaerere consentaneum fuit. Atque vss. 188 sq. suadet:

ἄμεινόν ἐστι παντὸς εἵνεκ', ὦ κόραι,
πάγον προσίζειν τ ό ν δ' ἀγωνίων θεῶν.

Pater enim tutissimum locum sibi ipse elegit; virgines quoque Danaum obtinere idoneum refugium iudicant et invidentes quasi patris loco ab incursionibus hostium tuto concupiscunt (vs. 208):

θέλοιμ' ἂν ἤδη σοὶ πέλας θρόνους ἔχειν.

Pater nuntians ergo est in loco edito. Priusquam autem rex vs. 234 orchestram ingreditur, Danaum descendisse evincitur ex eo, quod non ilico compellatur a rege. Certe autem erat compellandus, si stabat summa in ara,

quo omnium oculos ad se convertebat. Chorus autem iussus πάγον προσίζειν (189) considit non summa in ara[1]) — ego quidem non video, ubi hoc significaverit poeta — sed ad aram, sc. imum ad gradum, ubi commode duodecim sive potius tredecim virgines[2]) sedere possunt — viginti quinque chori personas ponere nihil cogit —; et ad aram sedent virgines, cum praeco eiusque comites aggrediuntur crinibusque eas abstrahere audent (909). Nullo ex versu chorum summa de ara descendisse consequitur: vs. 508 nihil nisi, ut orchestram introeat sedemque prope aram relinquat, quam adhuc obtinuit, rex imperat. Haud est indignum quod memoretur primum canticum strophice compositum (418—437) ad arae gradum cani, ut motus saltationis satis arto spatio contineatur. Chorus, qui Pelasgo auctore (508) in orchestram se contulit, certe alterum demum canticum (524 sq.) canens tota orchestra ad saltandum uti potest.

Eos, qui magnum suggestum — sive „Estrade" sive „Versatzstück" appellatum — vel media in orchestra vel ante domum scaenicam exstructum fuisse suspicantur, praeter argumenta cetera iam retinere potuit simplicitas theatri antiqui. Anno 458 primum — quantum nos quidem valeamus iudicare — frontem domus usurpatam esse ex Orestia discimus. Neque cogitari potest in ludis decem vel viginti annis ante factis ampliorem difficilioremque apparatum scaenicum eumque ductilem exstitisse.

Ceteroquin ille Danaus in tragoediarum quas quidem teneamus vetustissima (circa annum 480 eam actam esse manifestum est[3]) et ineunte et procedente summa in casa scaenica astans, quippe qui nullas fere alias partes agere nobis videatur nisi ipsas coryphaei pristinae tragoediae atque a choro virginum eo tantum differre, quod pater earum est, nonne te commonefacit illorum temporum, quibus poeta ispe solus actoris munere fungebatur et persona

---

1) Cf. Wilamowitzium Herm. XXXII (1897) p. 393 adn. 1.

2) Cf. p. 16 sq.

3) Alfredo Körte et Georgio Mueller l. c. accedo.

Dionysi indutus summo de curru Thespidis[1]) agebat ludum tragicum?

Promethei dialogos[2]) aliter esse exstructos atque ceterarum sex Aeschyli tragoediarum supra[3]) iam leviter commemoravi. Oceanus enim nullo verbo chorum filiarum respicit, nedum chorus eum appellet vel totum per episodium faciat ullum verbum. Colloquii, quod habet Prometheus cum Ione, parum particeps est. Certe 631 sq. quattuor trimetros coryphaeum loquentem facit poeta, ut Ioni ansa detur ad fortunas errationesque, quas Prometheus iam habet compertas, enarrandas. Vss. 687—695 interrumpunt duas orationes ampliores; vss. 782 sq. quattuor trimetri, duae ut sequantur orationes, efficiunt, quae iterum quattuor trimetris (819) diiunguntur. Sermoni, quem confert Mercurius cum Prometheo, minus etiam interest: quattuor trimetri (1036 sq.) orationem carmenque secernunt; sane tragoedia exeunte (1063—1070) Mercurio fortiter respondent Oceanitides seque in necem comitaturas esse amicum spondent. Vis igitur chori eadem fere est quae veluti in Medea Euripidis; aliquanto minores agit partes chorus filiarum Oceani, quam chori Orestiae; et quattuor trimetri huius modi non plus fere valent quam apud posteros tragicos binorum versuum interloquia.

Quando tandem egit Promethei trilogiam Aeschylus? Ex eruptione Aetnae 368 sq. descripta fabulam actam esse post annum 475 viri docti coniecerunt. Ex initio Promethei liberati, qui prologo carebat[4]) ut Supplices et

---

1) De Dionysi curru navali cf. Ferd. Dümmler Mus. Rhen. XLIII p. 355 sq. = *Kleine Schriften III 25 sq.* et H. Usener *Die Sintflutsagen Bonn 1899 p. 115 sq.*

2) Cf. G. F. Carolum Listmann *Die Technik des Dreigespräches in der griechischen Tragödie Diss. Gießen 1910 p. 5 sq. 13.*

3) Cf. p. 1.

4) Tragoediam caruisse prologo confirmat Procopi Historia Gothor. 4, 6: *ἀλλὰ καὶ ὁ τραγῳδοποιὸς Αἰσχύλος ἐν Προμηθεῖ τῷ λυομένῳ εὐθὺς ἀρχόμενος τῆς τραγῳδίας τὸν ποταμὸν Φᾶσιν τέρμονα καλεῖ τῆς τε Ἀσίας καὶ τῆς Εὐρώπης.* Cogitat scriptor de versibus anapaesticis chori Titanum, quos tradit Arrianus (= frg. 190 N)

Persae, ante Septem tragoediam prologo ornatam, ergo ante annum 467 actam esse Promethei fabulam collegerunt. Eundem ad finem pervenit Wilamowitzius [1]), qui nititur in fragmento 235 N [2]); quibus in versibus ludi satyrici trilogiae Thebanae (anni 467) adnexi certe Aeschylus exitum Promethei liberati tangit iocose. Ergo Promethei trilogia inter a. 475 et 467 orta est. Unde autem haec dialogorum compositio et tales chori partes? Quae nullo modo possunt poni ante trilogiam Thebanam; quae etiam ab ultima Aeschyli trilogia plane abhorrent. Porro ne post Orestiam quidem Prometheus agi potuit; iam anno 456/5 — biennio igitur post Orestiae actionem — poetam mortuum esse tradunt scholiasta ad Aristoph. Acharn. 10 [3]) et Marm. Par. ep. 59 [4]). Haec autem regula supra explicata non est ut ita dicam schema quoddam, quod semel non detrectes et iterum repudies atque inter annum 475 et 467 vel — si quis his annis Promethei trilogiam tribuere dubitet — inter annum 467 et 458 Aeschylum adhibuisse quispiam sibi persuadeat. Nata enim est haec lex necessario ex ipsis tragoediae originibus atque observata est quam diligentissime ab Aeschylo, etiamsi alter histrio ab eodem additus ad eam evertendam illicere potuit. Sophocles demum, qui tres histriones in ludo scaenico apte collocare didicit, hanc regulam, quam semel violasse Aeschylum Clytaemestra Choephor. testatur [5]), prorsus videtur abolevisse. Ergo nulli vitae Aeschyli anno talem dramatis componendi rationem, qualem offert Prometheus, addicere possumus. Quodsi ad hanc sententiam accedis — neque enim ullum est quod

---

ἥκομεν . . .
τοὺς σοὺς ἄθλους τούσδε, Προμηθεῦ,
δεσμοῦ τε πάθος τόδ' ἐποψόμενοι . . .

et frg. 191 N: *πῇ μὲν δίδυμον χθονὸς Εὐρώπης*
μέγαν ἠδ' Ἀσίας τέρμονα Φᾶσιν . . .

1) Cf. Herm. XXI p. 611 adn. 1.

2) *τῷ δὲ ξένῳ γε στέφανον ἀρχαῖον στέφος*
δεσμῶν ἄριστος ἐκ Προμηθέως λόγου.

3) *Ἐτελεύτησε γὰρ* (sc. *Αἰσχύλος*) *ἐπὶ ἄρχοντος Καλλίου τοῦ μετὰ Μνησίθεον τούτοις πρότερον ἐνιαυτῷ λ'.*

4) Edidit Fel. Jacoby Berol. 1904 p. 182

5) Cf. p. 2.

videam tibi refugium —, inde conclusionem facere ne veritus sis. Neque enim hoc nos celemus: compositionem dialogi chorique tractationem, quarum rerum altera cum altera artissime conglutinata est, Aeschylo abiudicantes totam fabulam Aeschylo abiudicamus. Et me iudice hanc viam inire audere cogimur. Accedunt enim inprimis gravissimae Wackernageli observationes, qui formas grammaticales recentiores et ab Aeschylo alienas totam per tragoediam dispersas repperit[1]; deinde nonnulla (non omnia[2]) argumenta ad apparatum scaenicum pertinentia, quae attulit Bethius[3]) — cogito de Oceano et choro, qui introducuntur machina, et de Prometheo, qui in fabulae parte extrema una cum choro terrae hiatu hauritur —; tum huc quoque referas parodum tragoediae commatice exstructam[4]), deinde figuram tria verba coniungendi in Prometheo saepius, aliis in tragoediis Aeschyleis nusquam fere usitatam[5]), denique nuntiationem Promethei (941) singularem[6]).

Quid Aeschylo vindicemus, singillatim discernere nequimus, quia retractator funditus commutavit fabulam. Cuiuscumque autem animus voluptate permovetur genuinae tragoediae compositionis si non prorsus et plane perspiciendae, at tamen quodammodo coniectura non ita incerta colligendae, is hoc mecum consideret. In prologo, quem nunc quidem legimus, tribus ex causis offendi. Primum dialogus ita bene apteque mores naturamque loquentium describit, ut nullo cum prologo Aeschyli tragoediarum comparare possis: prologus tragoediae Septem — quae aetate a Prometheo non longe abest — ut tres exhibet orationes, sic nullum dialogum; neque vero in Agamemnone custodis soliloquium

1) Cf. *Verhandlungen der 46. Versammlung deutscher Philologen und Schulmänner in Straßburg 1901 p. 65. Studien zum griechischen Perfektum Göttingen 1904 p. 11.*

2) Cf. C. Robert Herm. XXXI (1896) p. 573 sq.

3) *Proleg. p. 159—185.*

4) Cf. infra p. 43.

5) Cf. Guilelmum v. d. Brelie Dictione trimembri quomodo poetae Graeci imprimis tragici usi sint diss. Gotting. 1911 p. 59 sq.

6) Cf. infra p. 22; vide etiam p. 13 adn. 3 et p. 50.

neque in Choephoris oratio Orestis neque in Eumenidibus oratio Pythiae Apollinisque et Orestis colloquium — si eorum diverbium ita significare licet — Clytaemestraeque verba chorum dormientem incitantia, quid? quod ne unum quidem Aeschyli episodium ullum dialogum offert ita vividum et tam artificiose excultum, ut Promethei? Quae offensio augetur alia ratiocinatione: Promethei liberati fabulam, quae quin eiusdem trilogiae sit ob confirmationem scholiastae ad Aesch. Prom. 511[1]) nemo dubitare potest, certe prologo caruisse supra[2]) vidimus; a parodo igitur chori initium cepit; itaque mirumst, quod tragoediae, quae antecedit, prologum cogimur tribuere. Si primo ex argumento concludis tragoediam Promethei genuinam caruisse tali prologo, qualem nunc quidem legimus, atque ex altero eam omnino caruisse prologo verisimile esse conicis, tali argumentationi non obstrepit parodus commatica, quae ut fundamentum habet in vincto Prometheo, ita Aeschylo abiudicanda est[3]). Iam nihil impedire videtur, quin ponamus pristina in tragoedia Aeschyli Promethea catenis ad saxum alligari non ipso in initio, sed fabulae actione procedente[4]). Neque veri ita dissimile est egisse genuina in tragoedia Oceanum patrem chori, easdem fere partes quas Danaum, patrem chori, in Supplicibus. Nuperrime Alfredus Gercke[5]) eo progressus est, ut et Aeschylum *Λυόμενον* tantummodo aliumque versificatorem inter annum 430 fere et 420 *Δεσμώτην* composuisse conatus sit demonstrare et fabulam, quam tenemus, retractationis speciem prae se ferre negaverit. At tamen

---

1) *ἐν γὰρ τῷ ἑξῆς δράματι λύεται, ὅπερ ἐμφαίνει Αἰσχύλος.*

2) Cf. p. 7 sq.

3) Cf. p. 43.

4) Si quis ita ratiocinetur: in tragoedia genuina parodus commatica esse non potuit; ergo dum parodum canit chorus, Prometheus non adfuit itaque non ad rupem devinciebatur in prologo, haud recte progrediatur. Fieri enim potuit, ut, quamquam persona aderat, tamen a choro non respiceretur velut Eteocles in Septem aut choreutis non responderet et taceret velut Nioba in fabula eiusdem nominis et Achilles in Phrygibus (cf. Aeschyl. Vit.).

5) *Zeitschrift für das Gymnasialwesen Berol. LXV (1911) p. 164—174.*

illa tredecim argumenta, e quibus vir doctissimus utramque fabulam non esse eiusdem trilogiae evicit[1]), num hanc ad quaestionem diiudicandam tantum valeant, dubito. Eiusdem ratio, qua vestigia retractationis nullo loco indagari posse probare studuit, rei non omnes in partes satisfacere mihi videtur; pauca iam supra attuli[2]), pluribus disputare huius loci non est. Sane multa in Prometheo ad stilum poeticamque dictionem pertinentia discrepant a ceteris tragoediis[3]), tamen Aeschyli ipsius vim in verbis et eligendis et gignendis haud raro sentire posse lectorem pro certo habeo. Et quamvis ingeniose commutaverit retractator fabulam, Aeschylo soli in mentem incidere potuit, ut non solum Promethea rixantem cum Iove in scaenam introduceret, verum — id quod mihi etiam divinius videtur esse excogitatum — cum Titane colloquentem teneram sociam malorum Ionem.

Tragoedias Aeschyleas quoniam perscrutati sumus, circumspiciamus, an impressum Sophoclis Euripidisque fabulis vetustioribus ullum vestigium rationis Aeschyleae indagemus. Et profecto duo vestigia oculis offeruntur. In Aiacis fabula, quam hoc ipso momento aetate ceteras superare luce clarius fit[4]), exstant expressa. Vss. 719 sq. nuntius a Teucro missus loquitur cum choreutis et, ut Aiacem detineant custodiantque, cohortatur; tum demum Tecmessae a coryphaeo ex tentorio accersitae idem repetit consilium. Iam antiqui[5]) quaesiverunt, cur Sophocles eam non protinus

1) Cf. p. 166.

2) Cf. etiam infra p. 13 adn. 3 et p. 50.

3) Cf. Gerckium l. c. p. 172.

4) Cf. Listmannum l. c. p. 23 „*die Dialogtechnik dieses Stückes (sc. Aiacis) altertümlicher . . . als die aller andern, vielleicht mit Ausnahme der Antigone*“.

5) Cf. schol. ad vs. 784: *τίνος ἕνεκεν οὐκ ἐποίησεν ἐξιοῦσαν τὴν Τέκμησσαν ἵνα μετὰ τοῦ χοροῦ ἀκούσῃ τὰ περὶ τοῦ Αἴαντος ὡς ἐν τοῖς ἄλλοις δράμασιν, ἔν τε Ἠλέκτρᾳ καὶ Οἰδίποδι ἅμα τῷ χορῷ τὰς τῶν γυναικῶν προόδους ποιεῖ ἵνα μὴ διασολογῶσιν οἱ ἄγγελοι· κτλ.* — Vide etiam Listmannum l. c. p. 15 sq., qui ita iudicat: „*Ich bin überzeugt, daß an dieser zweifachen Berichterstattung im Aias, abgesehen von*

simul cum nuntio prodeuntem finxisset. Veluti El. 660 sq.[1]) Clytaemestrae Electra praesente paedagogus excogitatam fert nuntiationem: quam scaenae exstructionem schol. ad vs. 660 bene illustrat: *εὐκαίρως δὲ ἥκει* (sc. paedagogus) *ἔξω οὐσῶν ἀμφοτέρων . πρῶτον ἵνα μὴ δισσολογοίη πρὸς ἀμφοτέρας ἀπαγγέλλων.* — Tum 974 sq. Tecmessam astantem omnino non respicit Teucer, dum cum choro et deinde cum Menelao colloquium habet[2]). Utroque Aiacis loco, quantum auctoritatis possideat chorus, apparet, qui, ut nuntius Teucerque primum in scaenam intrantes ei actutum opponantur, flagitat, cum Menelaus (1047) et Agamemno (1226) choro neglecto protinus cum Teucro rem gerant. Euripides contra iam in Alcestide et Medea chorum multo magis reprimit et histrionum diverbium, cuius coryphaeus non particeps est, amplificat et excolit[3]).

II. De choro et histrionibus.

Novam artem dialogi componendi chorique reprimendi invenit Sophocles: atque nova haec chori tractatio arte conexa est cum tertio histrione, quem Sophoclem addidisse traditum est. Ut Sophocles quantopere meritus sit de tragoedia, rectius iudicemus, usque a capite argumentum arcessamus.

Ante Aeschylum et in Aeschyli tragoediis vetustioribus chorus lyrico tenore decantat condicionem quandam et

---

der damals noch größeren Bedeutung des Chors im Dialog, vor allem der Umstand schuld trug, daß der Dichter es noch nicht verstand, drei Personen direkt an einem Gespräch teilnehmen zu lassen, falls man dem Chor die Bedeutung einer Schauspielerrolle hier noch läßt."

1) Hunc locum iam Listmannus l. c. p. 29 scholio ad vs. 784 (v. adnot. 2) adductus perbene contulit.

2) Cf. etiam Listmannum l. c. p. 17.

3) V. Listmannum l. c. p. 42.

narrationes histrionis transitum faciunt ad novam condicionem novumque canticum. Bene illustratur hic tragoediae status vetustissima quam nobis servatam gaudemus tragoedia, Supplicibus: Danaus feliciter decrevisse contionem nuntians (vss. 600—624) laetum reddit chorum, qui primo stasimo pavorem erat elocutus; viginti trimetri ex pavide precante faciunt laeto gratoque animo cantantem; et (vss. 710 sq.) Danai tristis nuntius quanto timore trepidantem chorum fecerit, tertio ex cantico elucet. Ter igitur commutatio rerum, tres quas *περιπετείας* vocamus, una in tragoedia.

Histrionis narratio sensim in sermonis formam redigebatur: coryphaeus quaerebat et persona respondens narrabat [1]). Dialogus igitur fabulae ortus est ex hoc coryphaei et histrionis colloquio, quod in Aeschyli tragoediis primum in dialogo exstruendo locum obtinere longeque superare dialogum, quem instituit histrio cum histrione, partim supra [2]) explicatum est, partim constat inter omnes. Conspectum addam haud inutilem: apud Aeschylum octo exstant episodia, in quibus non persona cum persona, sed coryphaeus tantummodo cum persona colloquitur (Suppl. II., III.; Pers. II.; Sept. I., III.; Agam. I.; Eumen. I.; Prom. II.); apud Sophoclem nullum invenitur, nisi forte secundum Aiacis huc referas, in quo Aiax cum muta Tecmessa „sermonem“ confert; apud Euripidem unum in Alcestidis tantum tragoedia (episodium I.). Sane hic et illic et in Sophoclis fabulis et Euripidis coryphaeus sermocinatur cum histrione; neque vero ullum caret episodium colloquio, quod cum histrione serit histrio [3]).

At cur A e s c h y l u s addidit secundum histrionem? In Supplicibus duos sermones histrionales — sic dicam dialogos, quos habet histrio cum histrione — invenimus: 480—503 Danai et Pelasgi colloquium haud magni est

---

1) Cf. p. 2 et 45.

2) Cf. p. 1 sq.

3) Itaque Promethei tragoediam nisi retractatam esse ponimus, non potest explanari, unde tali episodio inter annum 430 et 420 instrui potuerit.

momenti explicatque tantum senex cur scaenam relinquat. Multo plus valet alter sermo histrionalis (911—951) praeconis cum Pelasgo; duo enim adversarii agunt: praeco contra chorum, pro choro Pelasgus. Haec scaena nos, quanam causa Aeschylus, ut alterum adderet histrionem, commotus sit, docere potest. Poetae qui antecesserunt Aeschylo, hanc si materiam tragoediis tractare habuissent in animo, personam quandam, velut Danaum, orationem apud chorum filiarum habentem finxissent, qua Aegyptios feroces fortissimo a Pelasgo depulsos esse referret. Sed Aeschylus liberatum esse chorum neminem nuntiantem inducit, sed praeconem minantem et auxiliantem regem. Actionem igitur ipsam liberandi ob spectatorum oculos producit. Pro narratione posuit actionem. Actionis autem instrumento est dialogus histrionalis, cuius formam offerebat sermo, quem coryphaeus habere solebat cum histrione, iam excultus. Atque Aeschylus in ludum tragicum tantum actionis coegit, ut non solum partem tragoediae epico adhuc colore imbutam in dramatis formam mutaret, sed etiam chorum lyricum ex contemplante faceret agentem (cf. praecipue Eumenidas); deduxit igitur chorum in viam a natura genuina eius devertentem.

Sophocles ut actionem histrionalem suscepit atque auxit, ita chorum actoris vice fungi non passus est, sed lyricam solam vim eius servavit vel potius restituit. Chorus Sophoclis contemplatur tenore lyrico condicionem — non ut ante Aeschylum et in Aeschyli primitiis epica narratione, sed spectatorum sub oculis dramatica actione mutatam. Qua ex diversa chori natura sequitur canticorum quoque diversa natura: Sophoclis chorus retrorsum animum vertere solet, Aeschyli autem chorus actionis particeps interdumque rector praesagit praesentitque futura. Et cum Aeschyli chorus persona fabulae principalis fuerit adeo, ut multis tragoediis daret titulum, Sophocles choro secundum vel tertium locum tribuit, itaque titulos a personis primarum partium sumpsit [1]). Sane Sophocli non

1) Cf. G. Christ-Schmid *Geschichte der griechischen Literatur 1908*

contigit, ut de loco actoris chorum plane eiceret (Aiacem cf. et Antigonam)[1]) — Aeschyli enim potentia nimis premebat —, Euripides demum choro purum pristinumque morem reddidit totum lyricum. Intellexerunt enim Sophocles et Euripides turbam duodecim vel quindecim hominum, qui ad manendum cantandumque vi tralaticia erat destinatus, non agere posse ut unam personam. Idem igitur officium nunc de integro chorus tragoediae perficit, quod chorus dithyrambi, qui plerumque non tam fortunam suam, quam personarum fabulae vel cogitationes poetae ipsius versibus lyricis videtur celebrare. Et quamquam Bacchylidis carmen, quod inscribitur Theseus, dialogi formam interdum induere posse dithyrambum nos docet, tamen actionis vestigium hoc in carmine indagare nequeo. Neque enim dialogus ipse actionis naturam habet, licet actio dramatica fieri non possit sine dialogo. Nam actio quaelibet mutat utcumque in qua personae versantur condicionem, dialogus autem, qui ut Bacchylidis Theseus nihil nisi duo interroagat totidemque responsa continet, prorsus caret actione. Idem constat de canticis Alcmanis et Sapphus, quae etiamsi interdum in dialogi formam conversae sunt, tamen actione certe carent[2]). Propterea de Aeschylo non iudicem, ut Wilamowitzius[3]): Aeschylus „*führte den Dialog ein: damit war das dramatische gefunden*“, sed: Aeschylus ex narratione epica fecit actionem dramaticam; ut instrumentum actionis adhibuit dialogi formam a Thespide iam inventam, quam secundo histrione addito excoluit.

Quid vero Aeschylum hanc ad mutationem audacter ingenioseque perficiendam commoverit, quam ob rem ludi Dionysii formam tralaticiam funditus transmutare molitus

---

p. 302 adn. 2. — Titulus Trachiniarum electus est ideo, quia tragoediae duae partes — ‘Deianira’ et ‘Hercules’ — choro continentur: nosmet tragoediam ‘τὸ φίλτρον’ inscriberemus, qui esset titulus comoediae, non tragoediae.

1) Cf. supra p. 11 sq.

2) Cf. R. Hirzel *Der Dialog* I p. 16 sq.

3) Herakl. I p. 93.

sit, cur tandem pro narratione posuerit actionem secundumque addiderit histrionem, iterum si quaerimus — quaerere enim nostrum est, etiamsi respondere fortuna nostraeque vires nobis non permittant — haec quidem quaestio, quam adhuc nemo quod sciam instituerit, quamvis magni sit momenti ad tragoediae origines dilucidius perspiciendas, dissolvi potest. Albrechtus enim Dieterich praeclara illa suprema commentatione[1]) paucis horis antequam morte abreptus est, viam, quae nobis ingredienda est, ostendit. Aeschylus Eleusinius suscepit ex sacris Eleusiniis, quae iterum ac saepius pio religiosoque animo spectaverat, non modo unum hoc artificium artis dramaticae, peripetiam scilicet, ut Dieterichius collegit, sed — filio Euphorionis mentem iniecit Demeter, ut ludos Dionysi in eandem qua ipsius *δρώμενα* vel *δράματα* intructa erant formam converteret: agentes personas Eleusine in telesterio conspexerat[2]); iam Athenis duo actores stola sacerdotis Demetros indutos[3]) in scaenam theatri Dionysii introduxit. Hoc est mirum eius facinus. Demeter igitur, non Dionysus constituit Aeschylum parentem dramatis. Itaque optimo iure Aristophanes in Ranis Aeschylum, priusquam certamen Euripide cum aemulo inchoet, sic facit precantem (886 sq.):

Δήμητερ ἡ θρέψασα τὴν ἐμὴν φρένα,
εἶναί με τῶν σῶν ἄξιον μυστηρίων. — —

Thespis primum invenit histrionem: i. e. coryphaeum ex choro procedentem colloquentemque finxit et cum ceteris et — hoc enim verisimile videtur esse — cum novo

---

1) *Die Entstehung der Tragödie Archiv für Religionswissenschaft XI p. 163—196.* — Cf. etiam O. Kern *Eleusinische Beiträge Halle 1909* et P. Cauer *Das Altertum im Leben der Gegenwart Leipzig 1911 p. 56 sq.*

2) Hoc pro certissimo contendi potest; de mysteriis Eleusiniis uberius agendi mox aliam mihi fore occasionem spero.

3) Cf. Dieterichium l. c. p. 184 sq.

coryphaeo, qui pro reliquis histrionem interrogavit. Aeschylus[1]) secundum addidit histrionem; i. e. idem accidit, quod apud Thespida factum videmus: qui adhuc fuerat coryphaeus, histrio fit; is colloquitur cum altero histrione et cum chori novo coryphaeo, qui in locum veteris coryphaei, qui histrio factus erat, promovetur. Sophocles tertium histrionem adiecit: i. e. tertium accidit, ut coryphaeus histrio fieret, qui cum histrione necteret colloquium et saepius, decursu temporis autem rarius cum coryphaeo; chorus enim in tragoediis Sophocleis paulatim actione abstinuit.

Qua ex consideratione consequi videtur pristinum chorum tragicum constitisse ex viris quindecim, qui eo, quod tres ex eis pedetemptim in locum histrionum procedebant, in numerum duodecim choreutarum reducebatur. Quodsi vitae Sophoclis auctor[2]) et Suidas[3]) Sophoclem ad duodecim tres adiecisse choreutas tradunt, poeta nihil nisi genuinum videtur restituisse numerum. Tum autem chorum quindecim virorum instituisse Sophoclem non simul cum tertio histrione, sed postea cogimur colligere. Et re vera tragoediae ipsae, quae ad nos pervenerunt, videntur confirmare argumentationem nostram.

In Orestia enim acta anno 458 ut tres histriones ita duodecim tantum choreutas Aeschylus in scaenam produxit. Rem ita se habere concedes, ubi primum inspexeris Agamemnonis vss. 1344 sq. et Eumenidum vss. 585 sq.

Agam. 1344: *σῖγα· τίς πληγὴν ἀυτεῖ καιρίως οὐτασμένος;* coryphaei est, qui sodales ut taceant admonet. Versum,

---

1) Cf. Aristot. poetik. 1449 a. 15 sq. *καὶ τό τε τῶν ὑποκριτῶν πλῆθος ἐξ ἑνὸς εἰς δύο πρῶτος Αἰσχύλος ἤγαγε καὶ τὰ τοῦ χοροῦ ἠλάττωσε καὶ τὸν λόγον πρωταγωνιστὴν παρεσκεύασεν, τρεῖς δὲ καὶ σκηνογραφίαν Σοφοκλῆς.* — Diog. Laert. 3, 34 (56) *ὥσπερ . . . τὸ παλαιὸν ἐν τῇ τραγῳδίᾳ πρότερον μὲν μόνος ὁ χορὸς διεδραμάτιζεν, ὕστερον δὲ Θέσπις ἕνα ὑποκριτὴν ἐξεῦρεν ὑπὲρ τοῦ διαναπαύεσθαι τὸν χορόν, καὶ δεύτερον Αἰσχύλος, τὸν δὲ τρίτον Σοφοκλῆς καὶ συνεπλήρωσε τὴν τραγῳδίαν.*

2) *τοὺς δὲ χορευτὰς ποιήσας ἀντὶ ιβ′ ιε′.*

3) *Σοφοκλῆς· πρῶτος τὸν χορὸν ἐκ πεντεκαίδεκα εἰσήγαγε νέων, πρότερον δυοκαίδεκα εἰσιόντων.*

qui sequitur, effatur Agamemno lamentans: ὤμοι μάλ' αὖθις, δευτέραν πεπληγμένος. Sequuntur duodecim sententiae duodecim senum deliberantium. Primam sententiam coryphaeus ipse dicit, rem, de qua agitur, proponit comitesque sententias rogat:

> τοὔργον εἰργάσθαι δοκεῖ μοι βασιλέως οἰμώγματι.
> ἀλλὰ κοινωσώμεθ' ἤν πως ἀσφαλῆ βουλεύματ' ᾖ.

Et deinceps suam quisque sententiam profert ac duodecim proferuntur sententiae. Postremo qui consilio praesidet coryphaeus, comprobat commendatque sententiam duodecimi:

> ταύτην ἐπαινεῖν πάντοθεν πληθύνομαι,
> τρανῶς Ἀτρείδην εἰδέναι κυροῦνθ' ὅπως.

Et iam opineris hanc ad sententiam accessisse omnes, cum Clytaemestra interveniens deliberationem senum dirimit certioresque ilico facit de eo, quod investigandum esse decreverat concilium [1]).

Eumenid. 585 sq. quoque praesto esse choreutas duodecim, non quindecim Weilius iam et Blassius intellexerunt. Vss. 585 sq.:

> πολλαὶ μέν ἐσμεν, λέξομεν δὲ συντόμως.
> ἔπος δ' ἀμείβου πρὸς ἔπος ἐν μέρει τιθείς.
> τὴν μητέρ' εἰπὲ πρῶτον εἰ κατέκτονας.

recitantur a coryphaeo duobusque semichoriorum ducibus deinceps. Sequuntur novem ἔπη a novem choreutis reo Oresti oblata. Et postquam vss. 608. 9 qui initium fecerat finem quoque fecit altercationi, adulescens auxilium petit a patrono divino [2]).

---

1) Nullo modo contingit, ut hos versus quindecim (ut G. Hermannus) vel quattuordecim (ut Wilamowitzius) distribuas choreutis. Iam C. O. Müller, Schneidewinus, Weilius, Sidgwickius rem perspexerunt. A. Kirchhoff ut duodecim virorum chorum esse arbitratur, ita falso distribuit. Dat recte 1345. 6 coryphaeo, vs. 1347 autem choreutae, quem XO. 1. significat. Sed XO. 1. est idem coryphaeus; ita fit, ut ultimam sententiam (1370. 1) non coryphaeo, sed illi, quem indicat nota XO. 12., tribuat perperam.

2) Weilius, quem sequitur Blassius (*Die Eumeniden des Aeschylus Berl. 1907 p. 138*), aliter versus distribuit: vss. 585 et 586 principi

Ergo post annum 458 Sophocles chorum quindecim virorum instituit, sive potius — ut nos quidem coniecimus — restituit. Nunc probetur quoque, quod adhuc probari non potuit, cur Sophocles, qui actionem dramaticam tantopere amplificavit et choro locum assignavit minorem, ut choreutarum numerum augeret, adduceretur. Postquam Sophoclem choro genuinam naturam mereque lyricam reddere vehementer studuisse supra vidimus, non miramur, quod choro reddidit antiquum quoque numerum [1]).

III. De personarum in scaenam prodeuntium indicatione.

Poeta tragicus cum certam quandam fabulam in scaenam deducat ipsosque heroas fingat agentes, personas, quae certo nomine proprio utuntur in fabula, in tragoediis nominibus significat eisdem. Homines autem humili ordine et nuntii nutricesque et paedagogi in tragoedia item carent nominibus atque in fabula.

In comoedia autem res plane aliter se habet atque in tragoedia et in vetere comoedia aliter atque in nova. Poeta enim comicus quoniam non certam quandam fabulam in dramatis formam redigit, sed actionem, quam ipse invenit, spectatoribus proponit, necessitate coactus nomina quoque personarum ipse excogitat.

Quam discrepantiam inter tragoediam exstare et comoe-

---

dat, quamquam 586 cum 585 non artius cohaeret, quam 587 cum 586, et versus extremos (608. 9) duodecimo choreutae, non coryphaeo. Haud recte progredi hos viros doctissimos iam ex Agamemnonis loci compositione apparere mihi videtur. Et illic et hic coryphaeus initiumque et finem imponit colloquio.

1) Haud scio an accedat, quod chorus quindecim virorum facillime dividi potest (duodecim praeter choreutas duo semichoriorum duces coryphaeusque chori), aptius certe quam chorus, qui constabat ex duodecim hominibus, cuius semichoria coryphaeo progrediente non aequo erant numero.

diam antiqui iam animadverterunt atque Antiphanes his verbis facete illustravit[1]):

μακάριόν ἐστιν ἡ τραγῳδία
ποίημα κατὰ πάντ', εἴ γε πρῶτον οἱ λόγοι
ὑπὸ τῶν θεατῶν εἰσιν ἐγνωρισμένοι,
πρὶν καί τιν' εἰπεῖν· ὥσθ' ὑπομνῆσαι μόνον
δεῖ τὸν ποιητήν. Οἰδίπουν γὰρ φῶ . .
τὰ δ' ἄλλα πάντ' ἴσασιν· ὁ πατὴρ Λάιος,
μήτηρ Ἰοκάστη, θυγατέρες, παῖδες τίνες,
τί πείσεθ' οὗτος, τί πεποίηκεν. ἂν πάλιν
εἴπῃ τις Ἀλκμέωνα καὶ τὰ παιδία
πάντ' εὐθὺς εἴρηχ', ὅτι μανεὶς ἀπέκτονε
τὴν μητέρ', ἀγανακτῶν δ' Ἄδραστος εὐθέως
ἥξει πάλιν τ' ἄπεισι . . .
ἔπειθ', ὅταν μηθὲν δύνωντ' εἰπεῖν ἔτι,
κομιδῇ δ' ἀπειρήκωσιν ἐν τοῖς δράμασιν,
αἴρουσιν ὥσπερ δάκτυλον τὴν μηχανήν,
καὶ τοῖς θεωμένοισιν ἀποχρώντως ἔχει.
ἡμῖν δὲ ταῦτ' οὐκ ἔστιν, ἀλλὰ πάντα δεῖ
εὑρεῖν ὀνόματα καινὰ ⟨καινὰ πράγματα,
καινοὺς λόγους⟩ κἄπειτα τὰ διῳκημένα
πρότερον, τὰ νῦν παρόντα, τὴν καταστροφήν,
τὴν εἰσβολήν. ἂν ἕν τι τούτων παραλίπῃ
Χρέμης τις ἢ Φείδων τις, ἐκσυρίττεται·
Πηλεῖ δὲ ταῦτ' ἔξεστι καὶ Τεύκρῳ ποιεῖν. — —

Apud Aristophanem personae et certo nomine praeditae et nomine carentes introeunt in scaenam, in nova autem comoedia, cuius fragmenta nuper reperta confirmant id, quod iam Terenti ex sex comoediis concludi poterat, tamen non concludebatur, personae cunctae nomine ornatae sunt[2]). Qui status rerum unde ortus sit, facile intellegitur: nova comoedia agitur ut ita dicam in spatio angustiore, quam fabulae Aristophanis; vitam domesticam in scaena ostentat. Paucas personarum species habet excultas, quas significant nominum

1) Athen. VI, 222 a sq. (Kock II, 90), quem locum ne praeterirem silentio, comiter me monuit Eduardus Fraenkel.

2) Coquis Menandreis (Epitrepont. et Sam.) utrum nomina fuerint indita necne, dubitari potest.

quoque quaedam species. Itaque ut exemplo utar, index personarum comoediae Menandreae, quae inscribi solet Heros, quamquam nomina tantummodo continet, de natura etiam personarum certiores nos facit [1]).

Illud ipsum, quod pars personarum nomine proprio caret, pars certo indicatur nomine, apud Plautum quoque reperimus. In hoc etiam — non solum in eo, quod nomina et in vita cotidiana usurpata et audacter composita item profert atque Aristophanes [2]) — Plautus veteris comoediae vestigiis insistit.

Duabus viis in universum potest procedere poeta, si nomen personae spectatoribus aperire vult: aut qui in scaena iam adest, nominatim appellatur aut personae in scaenam progressus nuntiatur. Hanc nominis indicandi rationem dicam nuntiationem, appellationem illam [3]).

Appellationem esse formam genuinam, qua personae agentis nomen indicatur spectatoribus, cum ex historia tragoediae ipsa liquet, tum testatur certum argumentum. Tragoedia enim est a prima origine non actio quaedam, sed colloquium unius cum choro habitum. Et si ille unus, qui ex turba choreutarum procedens iam choro opponitur ita, ut unus cum multis loquatur atque heroa quendam

---

1) *Τὰ τοῦ δράματος πρόσωπα. Γέτας Δᾶος Ἥρως θεός Μυρρίνη Φειδίας Σωφρόνη Σαγγάριος Γοργίας Λάχης.* Ex nominibus ipsis consequitur Getam Davum Sangarium esse servos, Myrrinam matronam, Phidiam et Gorgiam adulescentes — quamquam huius nomen in nova comoedia adhuc ignotumst —, nutricem Sophronam Lachemque senem.

2) Cf. F. Leo *Plautinische Forschungen p. 96 sq.*

3) Appellationem quoque esse iudico, si chorus vel histrio clamore aliam personam accersit (cf. Soph. Ai. 91. 787. Phil. 1263. O.K. 887. Eur. Hec. 1109. Phoen. 301. 1072. 1270. 1539. Or. 112. I. A. 1120. Aristoph. Ach. 409. 573. Eq. 728 etc. Menand. Epitrep. 579 etc. Plaut. Stich. 150. 736 sq. Pers. 459 etc. Ter. Andr. 871. Phorm. 986 sq. etc.). — Interdum personae, quarum nomina neque appellatione neque nuntiatione comperit spectator, ipsae, quae sint, profitentur. Quarum in numero sunt: personae, quae prologos in Euripidis fabulis recitant, tum dei machina introducti, deinde ii, qui, postquam chorus orchestra decessit, prodeunt (velut Menelaus in Eur. Hel. 386), denique illi, qui interrogati a coryphaeo vel histrione, qui sint, nomen suum communicant.

e poetae sententia repraesentet, nomine herois appellatur a choro. Canticum enim non prius incipit, quam et haec persona item atque chorus in scaena constiterint; itaque adventus unius nuntiari nequit. Rem ita esse comparatam comprobat certissime illud carmen Bacchylidis, quod inscribitur Theseus [1]: chorus personam appellatione, quam continet primus ultimusque strophae versus [2], notam facit spectatoribus.

Paulatim simplici hoc ex colloquio crescebat actio tragoediae. Iam gravi tardoque gressu prodeunt scaenamque relinquunt duo histriones partes heroum agentes. Ac stantes in scaena appellatione plerumque indicari Aeschyli nos docent tragoediae. Praeterea autem identidem chorum histrionis adventum facit nuntiantem poeta, semel in Suppl., Ag., Choeph., bis in Pers. et Sept.; numquam in Eum. Sed praeter heroas proprio nomine praeditos aliae quoque personae inducuntur: nuntii et praecones, quae ut in fabula, sic in tragoedia nominibus carent. Qua de causa has personas, quas in scaena inspicere nondum consueverunt spectatores, indicat diligenter Aeschylus: nuntium in Pers., praeconem in Suppl. et Agam., in Choeph. nutricem. Quis autem nuntiat? Non histrio, cuius est colloqui cum illo, qui in scaena iam praesto est, nec ad spectatores de adveniente habere orationem, sed chorus semper praedicit histrionem venturum. Excipio enim tres versus Promethei (941—943), quibus Titan Mercurium appropinquare declarat:

ἀλλ' εἰσορῶ γὰρ τόνδε τοῦ Διὸς τρόχιν,
τὸν τοῦ τυράννου τοῦ νέου διάκονον·
πάντως τι καινὸν ἀγγελῶν ἐλήλυθεν.

Quoniam hanc tragoediam plane funditusque esse commutatam supra [3]) comprobatum est, unicam hanc nuntiationem [4]) ab histrione factam retractatori tribuere non dubito.

---

1) Carm. XVII (ed. Blass.).

2) Vs. 1 *Βασιλεῦ τᾶν ἱερᾶν Ἀθανᾶν*; vs. 15 *ὦ Πανδίονος υἱὲ καὶ Κρεούσας.*

3) Cf. p. 7 sq.

4) Neque enim in numero habeo nuntiationum, quas nuntiationes voco proprio sensu, Aesch. Suppl. 176 sq. et 710 sq.: hic Danaus agmen

Nuntiandi officium choro iniunctum ex ludo ipso scaenico ortum esse quoniam vidimus, non miramur, quod haec observamus: primum apud Aeschylum omnes, quorum progressus coryphaeus refert, antea nondum in scaenam prodierunt, itaque spectatoribus non innotuerunt — neque enim huius poetae est supervacuum quicquam facere — exceptis nuntio et Eteocle in Sept. (369 sq.). Quorum adventus mirum in modum ternis trimetris semichoriorum praenuntiatur propter gravitatem scaenae instantis, quae est ut ita dicam totius cor tragoediae. Alterum, quod eadem ex Aeschyli proprietate emanat, hoc est: nullius personae adventus eadem in fabula bis indicatur.

Quodsi ad Sophoclem nos convertimus, longe aliud observamus. Sane hic quoque poeta appellatione utitur, at non plerumque ut Aeschylus; sed dimidiam fere partem prodeuntium appellatione, alteram dimidiam nuntiatione chori vel histrionis spectatoribus ostentat. Atque maxime animadvertendum est Sophoclem in vetustioribus tragoediis ut Aeschylum numquam histrionem ipsum, sed neminem nisi chorum fingere afferentem nuntium histrionis adventuri. Quam rationem usurpat in Ant. et Oed. Rege [1]) et in Electra; accedit etiam Philocteta, qua in tragoedia multo recentiore duae tantum audiuntur nuntiationes; nec mirumst, paucis enim ex scaenis fabula composita est.

In ratione Aeschyli et Sophoclis comparanda complura sunt notanda. Quicumque apud Aeschylum prodiens a coryphaeo indicatur, spectatori nondum innotuit (duobus exceptis); apud Sophoclem autem primum aperte distin-

---

regium appropinquans et navem hostium appellentem filiabus indicit et totum episodium (usque ad 233 et 775) explet diverbium Danai chorique, qui quemadmodum rem gerant cum advenientibus deliberant. Ceterum nuntiatio ipsa praeconis in versibus 826 sq. valde corruptis per chorum perficitur, postquam vss. 727 sq. introitum praeconis quodammodo praeparaverunt. — Neque praetermittam silentio bis chori introitum uberius indicari per histrionem (Cho. 10 sq., Prom. 115 sq.).

1) Proprium tenet locum pastor (O. R. 1110), de quo procul appropinquante Oedipus, cum dubitet, utrum is sit, quem exspectat necne, colloquitur cum choro; is autem asseverat illum esse ministrum Lai, quod confirmatur per nuntium.

guitur, utrum persona certo fabularique nomine ornata prodeat an proprio carens nomine. Nuntiorum et ministrorum adventus omnino non commemoratur, sive domo procedunt (velut O. R. 1223) sive aliunde in scaenam introeunt (velut Ant. 1155). Hae enim personae ipsa veste cognoscebantur [1]. In Trachiniis autem et prodeuntis nuntii (178) et nutricis (868 sq.) mentio fit. Haec tragoedia sola conservata est ex illis vitae Sophoclis annis, per quos vestigiis Euripidis iunioris adversarii diligenter insistit. Et miramur fere, quod etiam in personarum progressu praedicendo, quam esse rem minutulam primo obtutu arbitramur, Euripidis rationem eum sequi iam videbimus. Deinde Sophocles in omnibus tragoediis nequaquam curat, utrum persona spectatoribus innotuerit necne. Hoc tantum observari potest: apud Sophoclem adventum personarum certarum fabulariumque a sinistra vel dextra parte prodeuntium spectatori nondum notarum indicari omnium — excepto Tiresia in Antigona. Postremo apud Aeschylum nullam personam prodituram in eadem tragoedia bis praedici supra vidimus; eadem via ingreditur Sophocles in maiore parte fabularum (O. R., El., Trach., Phil., addique potest O. C. [2]); sed in Aiace et in Antigona, in fabulis igitur vetustioribus, rem aliter instituit: Creontis introitus ter et Tecmessae bis ad auditores refertur. Singularem locum obtinet Sophoclis Antigona; omnes personae nobiles certoque nomine appellatae, sive primum sive iterum sive tertium in scaenam intrant vel domo vel aliunde, a chori coryphaeo indicantur — praeter Creontem (631) et Tiresiam (988). Creo non indicatur — egredi autem eum neque permansisse, dum alterum canitur strasimum, infra [3]) demonstrabitur —, quia poeta duabus ex personis simul diversis a partibus in scaenam ingredientibus alteram adhuc

1) Supersedet poeta renuntiare in Ant. (223. 384) custodis, in Aiac. (719) et in O. C. (1579) nuntii adventum. In Aiac. 544 minister procedens idcirco tantum commemoratur, quia portat puerum.

2) De Ismena in scaenam ingrediente (310 sq., 1096 sq.) bis Oedipus caecus certior fit, quia 1096 una cum Antigona in scaenam progreditur.

3) Cf. p. 38 sq.

ignotam (hoc loco Haemonem) indiciare satis habet. Stasimum et primum et alterum tertiumque sequuntur versus anapaestici histriones venturos praedicentes. Quinto stasimo tales versus non sunt adnexi, quia nuntius exceptis Trachiniis non solet indicari in Sophoclis tragoediis. Quodsi mirum in modum Tiresiae adventus quinti episodii in initio silentio praetermittitur, consulto omisisse poeta nuntiationem videtur: introitu ipso vatis caeci movere vult auditorum animos [1]).

Restat ut Euripidis fabulas inspiciamus. Et appellatione et nuntiatione item atque Sophocles utitur; nuntiatur ab histrione pariter atque a coryphaeo. Valde est autem dignum, quod commemoremus apud Euripidem quoque vetustioribus in tragoediis (Alc. Hipp. Heraclid. Androm.) chorum solum, non histrionem nuntiare (Medeae fabulae infra mentionem faciam.). In fabulis, quae sequuntur, admodum raro inveniuntur histriones referentes alterius adventum: in Hec. (1053), Suppl. (395), Troad. (706) semel, in Heracl. bis (514. 1153). In Ione autem et in Bacch. histriones saepius nuntiant, quam coryphaeus; in Helena denique nemo nisi histrio adventum indicat. Et personarum fabularium et humilium adventus praedicatur vel non commemoratur. Non, ut Sophocles, cuius in tragoediis — Trachiniis exceptis — personae certo nomine praeditae introitus nuntiatur, humilis autem silentio praeteritur, sed Aeschyli rationem sequitur Euripides. Tum non ut in Sophoclis fabulis omnes personae fabulares a dextra vel sinistra parte prodeuntes simulque primum in scaenam progredientes commemorantur, sed iterum ad Aeschylum

1) Tiresiae adventum episodio ineunte neglectum iam suspicatus eram ut novum argumentum simul cum allatis a Drachmanno (Herm. XLIII p. 67 sq. et XLIV p. 628 sq.) demonstrare actionis structuram transmutatam a poeta ipsa fabula in componenda Tiresiamque postea esse additum, cum Guilelmus Dopheide (De Sophoclis arte dramatica diss. Monast. 1910) omnes discrepantias a Drachmanno detectas acutissime ex arte ipsa Sophoclis dramatica emanare exposuit.

se applicat[1]). Praeterea fit nonnumquam, ut eiusdem adventus iterum renuntietur[2]).

Quod etiam histriones aliquem scaenam introiturum esse praedicunt, actionem ludi paulatim vividiorem esse factam documento est. Actione enim ipsa fit, ut Medea (1118) adventum nuntii indicet. Suspenso sollicitoque animo quid eventurum sit exspectantem et in portam domus regiae oculos defigentem (1116 sq.) adventus ipse servi tantopere permovet, ut progressum eius nuntiet. Uter tragicus poeta prior histrionem nuntiantem fecerit, discernere nequimus. Veri dissimile non est — hoc enim Medeae exemplum nobis saltem primum huius generis est servatum — Sophocli antecessisse huius modi in nuntiatione usurpanda Euripidem.

Haud raro fit, ut histrio de persona adventura certiores faciat spectatores, quamquam chorus hanc personam novit, chorus igitur per se nuntiandi munus perficere potuit[3]). Sane saepe histrio ideo personam in scaenam introeuntem indicat, quia chorus eam nondum cognitam habet[4]). Identidem autem chorus peregrinum a sinistra parte in orchestram processurum praedicit, quem neque histrio in scaena agens neque ipse novit: velut Androm. vss. 879 sq.:

> καὶ μὴν ὅδ' ἀλλόχρως τις ἔκδημος ξένος
> σπουδῇ πρὸς ἡμᾶς βημάτων πορεύεται.

Tum vs. 883 coryphaeus, quis sit, interrogat:

> . . . ἀτὰρ δὴ τίς σὺ πυνθάνῃ τάδε;

ac peregrinus nomen declarat:

---

1) Velut in Alc. (476) Hercules, in Hipp. (790) Theseus, in Hec. (484) Talthybius, in Phoen. (834) Tiresias non indicantur.

2) Velut in Hipp. Hippolytus, in Troad. Talthybius, in Ione Xuthus, in Iph. Taur. Iphigenia et Orestes Pyladesque, in Phoen. Creo.

3) Velut Trach. 391 praeconem, Aiac. 1168 Tecmessam et 1223 Agamemnona (etsi Agamemno nondum in scaenam prodierat, tamen choro non minus notus est, quam frater eius Menelaus vss. 1040 sq. a coryphaeo indicatus), Oed. Col. 728 Creontem, Eur. Troad. 706 Talthybium; Ion. 1257 Ionem.

4) Velut O. C. 310 sq. Antigona et soliloquio et dialogo, quem facit cum patre, Ismenae adventum pulcherrime nuntiat, et vss. 1249 sq. Polynicis.

Ἀγαμέμνονός τε καὶ Κλυταιμήστρας τόκος,
ὄνομα δ' Ὀρέστης [1]).

In universum histrio personas ab latere dextro vel sinistro solummodo prodeuntes indicat. Faciem enim ad chorum et spectatores derigere solet. Perraro accidit, ut personae portis aedium egredientis mentionem faciat[2]). Atque talis si nuntiatio invenitur, semper ex eo originem ducit, quod ipse personae introitus ad actionem movendam aliquid habet momenti.

Peculiaris est nobis quaestio instituenda, utrum dei introitus renuntietur necne. Apud Aeschylum nullus nuntiatur deus: velut Athena (Eumenid. 397 et 566) et Apollo (64 et 574) non indicati in orchestram ipsam prodeunt. Et habitu et veste qui esset deus cognosci potuit. At nomine uterque, dum praesto est, appellatur saltem: Apollo, qui vs. 64 procedit, vs. 85 *ἄναξ Ἄπολλον*, Athena vs. 397 progressa vs. 415 *Διὸς κόρη* et 443 appellatur *ἄνασσ' Ἀθάνα*. Apud Sophoclem in Aiace Athenam in scaena agentem ante parodum Ulixes alloquitur. Hercules autem in Philocteta per machinam introducitur atque ipse nomen suum aperit (1411):

φάσκειν δ' αὐδὴν τὴν Ἡρακλέους
ἀκοῇ τε κλύειν λεύσσειν τ' ὄψιν.

Non fusius movet adventus mentionem poeta, quia hanc ad machinam Athenienses iamiam assuefacti erant[3]). Bethius demonstravit[4]) anno 427/6 primum hanc machinam esse usurpatam; ergo anno 409 omnibus spectatoribus iam erat res cognita. In Euripidis denique fabulis variam rationem divini numinis inducendi conspicimus: Alc. 476 Hercules peregre adveniens statim nomine compellatur a choro. Hipp. 1283 Artemis, cuius adventum nemo nuntiat, in

1) Aliud exemplum eiusmodi praebet Hypsipyl. Ox. Pap. VI fragm. I Col. IV frg. 3 vss. 10 sq.

2) Soph. Trach. (!) 391. Eur. Med. 1118 (cf. p. 26). Hec. 1053. El. 547. Hel. 858. 1184. 1385. Ion. 78.

3) Cf. Wilamowitzium in editione Philoctetae ab Schneidewin. Nauck. Radermachero curata adnot. ad vs. 1409.

4) L. c. p. 204 sq.; cf. etiam A. Gercke l. c. p. 173.

scaenam procedit machina non usurpata [1]) atque de se loquitur (1285):

Λητοῦς δὲ κόρη τ' Ἄρτεμις αὐδῶ.

In Andromacha autem Thetis machina introducitur et chorus spectatorum oculos hanc in personam ita convertit (1226):

ἰὼ ἰώ·
τί κεκίνηται; τίνος αἰσθάνομαι
θείου; κοῦραι, λεύσσετ' ἀθρήσατε·
δαίμων ὅδε τις λευκὴν αἰθέρα
πορθμευόμενος τῶν ἱπποβότων
Φθίας πεδίων ἐπιβαίνει.

Et in Ione ab Ione ipso Athenae (1549) et in Electra a choro Dioscoridarum nuntiatur adventus (1233). In Supplicibus autem — et hoc momento tragoediam actam esse post Ionem paulum affirmatur —, in Iph. Taur., in Helena, in Oresta numinum machina introductorum non uberius fit mentio. In Rheso denique Musae introitus indicatur (885—9). Atque in Promethei fabula adventus Oceanitidum a Prometheo large praenuntiatur (114), Oceani non (286).

Quod ad verba ipsa, quibus nuntiatio profertur, attinet, hoc tantum memorem [2]). Chorus personam scaenam introituram praedicit aut in cantico ipso (Soph. Trach. 962 sq. Eur. Alc. 233 sq.) aut versibus anapaesticis saepe — non semper — cantico adnexis aut trimetris, qui partim cum cantico coniuncti sunt, partim nulli cantico adiuncti scaenas separant [3]), aut tetrametris trochaicis (Aesch. Pers. 246 sq. Soph. — Eur. Ion. 514 sq. Phoen. 1308 sq. Or. 1549 sq.). Histrio nuntiat adventum alterius aut in exitu orationis aut, quod rarius invenitur, in initio orationis (Soph. Ai. 1168. Eur. Her. 1153) aut colloquio, quod habet histrio cum altero de persona adveniente, aut in exitu dialogi [4]). Plerumque trimetris iambicis utitur histrio, apud Euripidem saepius tetrametris trochaicis (Ion. 1257. Iph. Taur. 1222).

1) Cf. Bethium l. c. p. 140.
2) Cf. Deckingerum p. 53 sq. et 141 sq.
3) Aeschyli tragoediae nullum huius modi exemplum praebent.
4) Velut O. R. 631. El. 324. 1429. Trach. 731. Ai. 975. Phil. 539.

Versus coryphaei, qui stasimo adnexi adventum histrionis nuntiant, simul a cantico ad dialogum traducunt. Quod poetam re vera appetisse exempli gratia ex versibus Eur. Orest. 208 evinci potest, quos coryphaeus ad parodum adiungit ideo tantum, ut ad dialogum traducat; neque enim quemquam in scaenam ingredi commemorari potuit, cum Orestes iam cubaret in scaena.

Apud Sophoclem saepe chorus vel histrio, si nuntians adventum personae fingitur a poeta, interrumpit colloquium et aliquem ut taceat, adhortatur, quo iussu forma nuntiationis quodammodo variatur [1]). Omnes tragoediae Euripidis, quantum video, unum huius modi exemplum exhibent: Iph. Taur. 723 [2]); in universum apud hunc poetam nuntiatio in constantem iam abiit formulam, quae a vocibus *καὶ μήν* incipere solet. Saepius Euripides — non Sophocles nec Aeschylus — in exitu versuum nuntiantium *πόδα* vel *ποδί* adhibet, ut versum commode concludat [3]).

His quidem expositis Wilamowitzii sententia olim in Anal. Euripid. III, 2 p. 199—204 prolata expendenda est, quae partim observationibus meis suppletur, partim corrigitur; qui cum has quaestiones ab Hillero [4]) agitatas adhuc unus — quantum scio — susceperit, ut silentio me consentaneum est praeterire, quae ab eo neglecta supra explanata sunt, ita graviores meum est tractare discrepantias.

---

1) Hoc Deckingerum non effugit: v. l. c. p. 144.

2) *σίγα· τὰ Φοίβου δ' οὐδὲν ὠφελεῖ μ' ἔπη·*
γυνὴ γὰρ ἥδε δωμάτων ἔξω περᾷ.

3) Velut Ion. 1320 sq. *τρίποδα . . . χρηστήριον*
λιποῦσα θριγκοῦ τοῦδ' ὑπερβάλλω π ό δ α
El. 94 *καὶ τειχέων μὲν ἐντὸς οὐ βαίνω π ό δ α*
489 sq. *ὡς πρόσβασιν τῶνδ' ὀρθίαν οἴκων ἔχει*
ῥυσῷ γέροντι τῷδε προσβῆναι π ο δ ί
1172 sq. *ἀλλ' οἵδε . . .*
. . . βαίνουσιν ἐξ οἴκων π ό δ α
Or. 456 *καὶ μὴν γέροντι δεῦρ' ἁμιλλᾶται π ο δ ί*
1504 sq. *ξιφηφόρου γὰρ εἰσορῶ πρὸ δωμάτων*
βαίνοντ' Ὀρέστην ἐπτοημένῳ π ο δ ί.
Vide etiam Hec. 977. Ion. 1253. El. 219. Phoen. 100.

4) Herm. VIII (1874) p. 442—456.

De Sophocle p. 201 ita iudicat: „cum enim eum (sc. Sophoclem) molestiarum Euripidearum taederet, summo artificio cavit, ne quidquam ulla de causa extrinsecus adlata videretur aut fieri aut dici. itaque nec quae iterum in scaenam venit persona nominatur nec quisquam se ipse nominat, nisi forte tam insigne inde succrescit acumen quale in Oedipo spectatur sive *τὸν πᾶσι κλεινὸν* sive *τὸν πλανήτην Οἰδίπουν* se vocat“. Qua in re nec detractam Euripidi neque Sophocli laudem impertitam probo. Nuntiatur adventus Oedipi in R. O. 531 tertium et Trach. 731 Hylli iterum prodeuntis et El. 1422 Orestis Pyladisque progredientium iterum — quamquam nomina ipsa non indicantur; non „cavit“ igitur „Sophocles ne quidquam ulla de causa extrinsecus adlata videretur aut fieri aut dici“. Tum autem expresso nomine nuntiatur (Ant. una cum Wilamowitzio nunc non respicio) Creo in O. R. 1424 tertium veniens et Ulixes (filiusque Achillis) in Phil. 1217 iterum in scaenam progrediens; quod fieri negat Wilamowitzius.

De Euripide p. 203 disserit ille: „persaepe etiam cum iterum procedit persona nominatur, in tragoediis ultimis vel per chori anapaestos (Orest. 1013, 1505) aut trochaicos tetrametros . . .“ At eo detracto, quod Or. 1505:

βαίνοντ᾽ Ὀρέστην ἐπτοημένῳ ποδί

trimeter iambicus est, vetustioribus iam in tragoediis adventus personae chori anapaestis significatur; addo conspectum: Hipp. 170. 1342. Androm. 494. 1166. Her. 442. Troad. 230. 568. Iph. Taur. 456. Or. 348. Tum non solum primum, sed etiam iterum procedentis indicant adventum hi anapaesti; loci autem, quos attuli non nominationes omnes, sed exceptis Troad. 568 et Or. 348 nuntiationes tantum sunt. Quas Wilamowitzius in illa quaestione praeteriisse videtur, immerito, illas scilicet, in quibus personae, quae iam in scaena egerit, nomen spectatoribus iam dudum notum iterum progredientis aliis describatur verbis (velut pro Neoptolemo *Ἀχιλλέως γόνος* [Soph. Phil. 1220], pro Hercule *Ἀλκμήνης γόνος* [Eur. Alc. 1006], pro Amphitryone *ὁ . . . πρέσβυς* [Eur. Her. 1039] etc.). Quid tandem refert, si Hippol. 1342 Hippolytus quartum veniens

spectatorum in conspectum significatur verbis ὁ τάλας ὅδε? An de nuntiatione aliter iudicari debuit, si nomen Ἱππόλυτος adhibuisset poeta? Vero alia esset res, si personae adhuc non progressae nomen non compertum haberet auditor. Itaque sane discernendum est, utrum qui primus in scaenam procedit, nominatim indicetur an nomine aliter explicato, sed nihil videtur interesse, utrum personae iam dudum notae adventus indicetur necne. Nunc vero omnes personae fabulares, quae primum prodituræ praedicuntur, apud Aeschylum et Sophoclem et Euripidem etiam nomine ipso expresso indicantur. Paucas exceptiones enumero: in Prometheo Mercurius nuntiatur (941—3) ut Διὸς τρόχις; hanc nuntiationem supra [1]) alia graviore de causa Aeschylo abiudicavimus. Mercurii nomen omissum per se nequaquam hos versus retractatori assignandos esse demonstret; cur non Aeschylum satis habuisse putas Mercurium verbis Διὸς τρόχις significasse? Apud Sophoclem Tiresias O. R. 297 ut θεῖος μάντις indicatur, sed non solum veste et habitu facile cognosci potuit, verum iam vs. 300 appellatur. In Euripidis denique tragoediis quinque nuntiationes inveni [2]), ex quibus tres ita sunt comparatae, ut nomen, priusquam adveniat persona, identidem iam commemoratum sit et postea compluries in decursu actionis audiatur: Alc. 233 Admetus et Alcestis ut πόσις et γυνὴ ἀρίστη introducuntur; Herc. 514 Hercules appropinquans significatur a Megara ut τἀμὰ φίλτατα; Phaedrae adventum quamquam chorus indicavit nomine non pronuntiato (171: τήνδε), tamen omnes spectatores nomen iam vs. 27 et 48 adhibitum animo tenent; dum praesto est in scaena, appellat eam nutrix τέκνον vel

1) Cf. p. 22.

2) Consulto — ut lector intelleget — omisi hac in ultima quaestione tractanda nuntiationes deorum machina invehentium, qui saepe praetermisso nomine introducuntur et ipsi, qui sint, patefaciunt nec non eas, in quibus de adveniente colloquuntur alii ita, ut de nomine eius nemo dubitare possit, velut Phoen. 690 Eteocles imperat:

> χώρει σὺ καὶ κόμιζε τὸν Μενοικέως
> Κρέοντ', ἀδελφὸν μητρὸς Ἰοκάστης ἐμῆς . . .

et adnuntiat vs. 696:

> ὁρῶ γὰρ αὐτὸν πρὸς δόμους στείχοντ' ἐμούς.

παῖ vel *δέσποινα*; vs. 482 demum Phaedrae nomen rursus exstat. Maxime autem convertamus animum nostrum in nuntiationem Pheretis (Alc. 611): chorus renuntiat Admeto *σὸν πατέρα γηραιῷ ποδὶ στείχοντα*, ante eius ingressum Admetus ter *παῖς Φέρητος* compellatus erat. Attamen Pheretis nomen, quod nec in scaena versantis commemoratur nec postea, — alloquitur eum Admetus vs. 516 *πάτερ* — spectatores Athenienses Phereta ut Phereta cognovisse manifestum est. Quae cum ita sint, vix contendi potest Euripidem se vinxisse „legibus perquam molestis“.

Aristophanes si civem Atheniensem, ut eum illudat, inducit in scaenam (velut Euripidem, Socratem, Lamachum etc.), extemplo nomen prodit spectatoribus. In Acharnensibus et Euripides et Lamachus nominatim, ut domo excedant, vocantur (409. 573). In Nubibus Strepsiadem interrogantem (217):

φέρε τίς γὰρ οὗτος οὐπὶ τῆς κρεμάθρας ἀνήρ;

discipulus certiorem facit simulque spectatores:

αὐτός. (*Στ.*) *τίς αὐτός*; (*Μαθ.*) *Σωκράτης.*

In Avibus Cinesias in scaenam prodiens ilico a Pithetaero nomine ipso salutatur (1372). Haec exempla sufficiant.

Si personae cuidam — personis primas partes agentibus plerumque — nomen comicum tribuit Aristophanes, eo temporis momento nomen commemoratur primum, quo, cur illud nomen creaverit poeta, auditores possunt intellegere modo in initio modo media in parte modo fabulae in exitu. Veluti nomen Phidippidis iam vs. 67 audimus, sed non solum, qua ratione nomen inventum sit a parentibus, pater miser facete ennarrat, verum antea iam soliloquio (inde a vs. 12), qualis esset filius, comperit spectator. Strepsiades autem ipse vs. 134 nomen suum plenum integrumque dicit discipulo, qui fores reclusit et a pulsante, quis esset, interrogavit, ut in vita quoque cotidiana ianitor interrogare solet:

βάλλ' ἐς κόρακας. τίς ἐσθ' ὁ κόψας τὴν θύραν;
(*Στρ.*) *Φείδωνος υἱὸς Στρεψιάδης Κικκυννόθεν.*

Similiter Dicaeopolis (Acharn. 404) pulsat, ut Euripides

patefaciat portam, ipse suum patefacit nomen, et mores naturamque rustici pacis amantis bene exprimere nomen auditor potest perspicere.

In Avibus vss. 644 sq. demum audiuntur nomina duarum quae primas partes agunt personarum Euelpidis et Pithethaeri. Priusquam in imperium avium intrent et publice salutentur, plane congruit cum natura rerum, quod upupa ex peregrinis, quae sint eis nomina quaerit. (Ante hunc versum ut *δύο πρεσβύτα, τὼ πρεσβύτα, ξένω σοφῆς ἀφ' Ἑλλάδος* compellabantur.) Et quam lepide significent illa nomina homines, qui eis ornati sunt, intellegit, quisquis attento animo viatores comitatus est.

Semel accidit, ut duo nomina comica pronuntientur, priusquam personae, ad quas pertinent, in scaenam progressae sint. Alias semper nomen comicum cum spectatoribus communicatur tum demum, cum personae iam ipsae innotuerunt spectatori. Bdelycleonem Philocleonemque servus Xanthias enominat iam exeunte in prologo, quo (cf. vs. 54) *τοῖς θεαταῖς τὸν λόγον* enarraverat; itaque electio nominum satis probata est.

Alia via poeta procedit, si quos in scaenam introducit, qui vestimento cognosci possunt. Mercurius in Pace (180) progreditur neque quisquam per totam scaenam (sc. usque ad vs. 233, ubi scaenam relinquit) nomen effatur; altera scaena nomen Mercurii primum exhibet (365). In Pluto Mercurius inde a vs. 1097 versatur in scaena, sed vs. 1122 demum ipse nomen declarat. Quin etiam fieri potest in Aristophanis comoediis, ut et Hercules et Pluto in scaenam ingrediantur eorumque nomina silentio praetermittantur (Ran. 38. 1411). Ut nomen Plutonis iam vss. 163. 432. 765. 784 commemoratur, ita, dum praesto est, nusquam. Herculis autem nomen neque antequam is in scaenam processit neque dum adest (vss. 38—164) eloquitur quispiam, cum postea nomen eius saepius audiatur. Veste et actione apertum fit Herculem in scaena agere et Plutonem. In Alcestide autem Euripidis Hercules, quamquam vs. 496 prodiens non indicatur, tamen protinus (478) appellatione ostentatur [1]).

1) Theseos (Eur. Suppl. 87) nomen pronuntiari non erat necesse,

At Sileni in satyris alia ratio est. Quamquam προλογίζει, nomen suum non eloquitur, ut in tragoediarum Euripidearum prologis fieri solet; qui etiamsi primas agit partes, tamen nomen ipsum auditur vs. 539 primum neque omnino iterum [1]). Nec opus erat in fabula Satyrica nomine Silenum σατύρων γεραίτατον compellari. Neque ideo Euripides semel nominavit Silenum, quia regula aliqua imperavit, ut quaevis persona non expers proprii nominis semel saltem nominatim vocaretur, sed quia actione ipsa fit, ut nomen pronuntietur. Silenus iam vs. 503 una cum Ulixe et Cyclope processerat, sed vs. 539 Cyclops, qui adhuc cum Ulixe solo collocutus erat, nomine utitur, ut eum ad colloquium accersat; nomen igitur adhibetur ad eum finem, cui omnino natura destinatum est.

Pariter — et redeamus ad Aristophanem — in comoedia nomen usurpatur, ut omnino in vita hnmana. Et Aristophanes et Menander Plautusque et Terentius etiam in nominibns indicandis veram vitae imaginem praebent [2]). Ex eo, quod vitae consuetudinem producit in scaenam poeta comicus, intellegitur etiam ratio, quae in Aristophanis comoediis intercedit inter appellationem et nuntiationem. Cum in tragoediis primo nuntiationem a coryphaeo peragi

---

quia in prologi exitu (37) Aethra adventum eius praedixerat. Itaque de certo quodam Thesei habitu, quo spectatores statim, etsi nomen eius auribus non perceperant, heroa cognoscere potuerunt, quaerere non opus est (cf. Wilamowitzium Her. II p. 215).

1) Ab Ulixe (145. 194) et Cyclope (229) γέρον appellatur.

2) Unum exemplum pro multis, quae exhibent Plauti Terentique comoediae, afferre satis habeo: Demipho Phormionis cum vs. 231 in scaenam procedit, ut nomen eius nondum quisquam elocutus est, ita hoc saltem comperimus — et id solum nostra interest — eum esse senem, fratrem Chremetis, patrem Antiphonis Phaedriaeque avunculum. Nomen Demiphontis primum vs. 352 percipimus, cum iterum in scaenam progreditur. Qui factum est? Totam per scaenam (216—314) ideo nomen eius non audimus, quia secundum vitae consuetudinem a Phaedria, a filia fratris, 'patrue' et a Geta servo 'ere' appellatur. (Quodsi vs. 609 Geta Chremeta longo ex itinere redeuntem salutat 'o salve, noster Chremes', hac appellatione familiariter expressa gaudium simulat servus doli gratia [cf. Ed. Hauler ad vs. 609]).

et nuntiationem, quae ab histrione ipso perficitur, paulatim irrepsisse ac postremo triumphasse intellexerimus, in contrariam partem observamus comoediam tendentem[1]). Ab Aristophane in universum nuntiatio non ita saepe usurpatur quam in tragoediis, quoniam ludus comicus est multo actuosior et vivacior. Et cum in vita cotidiana nullus chorus nuntiet alterius adventum accedentis, in comoedia quoque primum non chori est indicare personas. Sin autem adventus histrionis indicatur — in Nubibus omnino nullius scaenam ingredientis mentio fit — histriones ipsi nuntiationem proferunt[2]); sic res se habet in Eq. Vesp. Pac. Ran. Plut. Coryphaeus interdum personam appropinquantem si nuntiat, hoc fit certo manifestoque consilio, ut tragoedia illudatur.

Acharn. 1069: coryphaeus praeconis introitum praedicat:

καὶ μὴν ὁδί τις τὰς ὀφρῦς ἀνεσπακὼς
ὥςπερ τι δεινὸν ἀγγελῶν ἐπείγεται.

Quis tragicum horum verborum ignoret colorem?[3])

Av. 1196 coryphaeus Irin machina advehentem indicat, quamquam nuntius 1172 deam esse adventuram iam rettulerat:

ἄθρει δὲ πᾶς τις πανταχῇ κύκλῳ σκοπῶν,
ὡς ἐγγὺς ἤδη δαίμονος πεδαρσίου
δίνης πτερωτὸς φθόγγος ἐξακούεται.

Quorum versuum dictionem tragicam tantopere sensit Nauckius, ut eos inter tragicorum Graecorum fragmenta adespota pag. 848, 47 legamus. Verba igitur non solum

---

1) Cf. contra Wilamowitzium, qui ad versus 138. 139 Herculis Euripidis, quibus Lyci adventum coryphaeus indicat, adnotat: „*diese ganz conventionelle Manier gilt bei Soph. Eur. Aristoph. ganz in gleichem Maße*“.

2) Av. 1121: primus nuntius ita introducitur:

ἀλλ' οὑτοσὶ τρέχει τις Ἀλφειὸν πνέων.

Qui versus in codicibus recte tribuitur Pithetaero, ab I. de Leeuwen coryphaeo. Alterius nuntii quoque adventum (1168) praedicit Pithetaerus.

3) Cf. Med. 1118. Hipp. 1151. Phoen. 1332.

tragico colore imbuta, sed etiam a coryphaeo recitata efficiunt, ut spectatores tragoediam derideri sentiant.

Non pariter iudico de Lys. 571. 1072. 1082. 1107 et de Eccl. 500. Lys. 1072 chorus nuntiat legatorum adventum Lacedaemoniorum idemque Eccl. 500 praedicit Praxagoram prodituram: et hic et illic in scaenam vacuam persona introit, quae cum choro colloquium initura est. Ceteri loci media in actione appropinquantem indicant; cum nuntiationes huius modi in tragoedia exstent et prius et multo saepius, ratio tragica videtur translata esse in comoediam.

Consuetudine vitae fit cotidianae hoc quoque, ut in versibus ipsis legamus nomen Plathanes (Ran. 549) — advocatur enim a muliere quadam, ut accurrat — mulier ipsa autem clamans, cuius in vacuam progressae scaenam chorus non nuntiat nomen, quia nihil valet, careat nomine. Aeque vitae ipsius natura fert, ut si quis servum accersit vel servo praesenti vult mandare aliquid, nomine eum advocet. Itaque saepe apud Aristophanem servi et muti quidem nominibus sunt praediti [1]). At contra haud raro servi taciti nominibus non pronuntiatis appellantur [2]). Quin etiam servi loquentes agentesque sine nomine introducuntur. Iam in vetere comoedia pariter atque in nova saepe duo servi *προλογίζουσιν*. Et non tam id, quod — ut exemplum

1) Vesp. 433 Bdelycleo tres servos vocat: Midam, Phryga, Masyntiam. (Sosia non horum in numero est, quamquam abest et iam antea in scaenam processit). Acharn. 243. 259 Dicaeopolis Xanthiam appellat. Nub. 1485 Xanthias, ut ex aedibus procedat, vocatur a Strepsiade. Av. vs. 656 commemoratur Xanthias et Manodorus, qui vs. 1311 et 1329 Manes appellatur; conferas velim Acharn. vs. 861 et 954, ubi servus tacitus primo vocatur Ismenia, tum Ismenichus. Eadem enim sunt nomina. Aeque iudicandumst de significatione medici in Luciani Tragodopodagra, qui modo Soterichos (78. 79.) modo Soter (78. 99. 142) compellatur. Ceterum in indice personarum huic fabulae praescripto neque Soterichos neque Soter legitur — neque enim quisquam curat nomen — sed *ἰατρός*. — Praeter locos allatos servi muti nominibus praediti sunt: Ran. 608 (cf. F. Leo *Plaut. Forsch. p. 124*). Eccl. 730. 867. Lys. 908 etc.

2) Velut Av. 850. 1187. 1469. 1693. Ran. 847. 871. Eccl. 509. 833.

afferam — in Vespis Sosias et Xanthias loquuntur, quam illud, quod duo servi in scaena agunt nosque de rebus, in quibus posita est actio, docent, aliquid valet[1]). Ita fieri potest, ut duo servi Pacis prologum efficientes nomen certum non habeant. Etiam alias servi nomine destituti apud Aristophanem prodeunt[2]). At vicissim ubertatem nominum non modo in servis, sed etiam in choreutis nominandis interdum observamus, quae prorsus digreditur abhorretque ab arte tragoediae[3]). Modo igitur parcum modo liberalem se praebet poeta comicus significandis in personis.

Quam crebro nomen personae apud Aristophanem audiatur, pendet ab ipso nomine, quale sit. Saepe nomina propria, comica autem in universum raro repetuntur[4]). Iocum enim si saepe iteras, sale orbas. Quantopere differt tragoedia, in qua nomina propria tantummodo inveniuntur!

Actio ipsa comoediae usque ad parabasim agi solet ac quae sequitur pars constare ex scaenis laxe coniunctis ipsa cum fabula; quae scaenae nihil nisi statum rerum actione prioris partis effectum illustrant. Itaque cunctis fere personis ante parabasim in scaenam prodeuntibus nomina propria tribuere solet Aristophanes. Et quoniam supra[5]) alia causa comprobavimus, cur in Menandri comoediis omnes personae nominibus propriis praeditae sint, nunc etiam dilucidius unde factum sit intellegimus. Nova comoedia orta

---

1) Cf. Vesp. 58 sq.: *ἡμῖν γὰρ οὐκ ἔστ᾽ οὔτε κάρυ᾽ ἐκ φορμίδος*
δούλω διαρριπτοῦντε τοῖς θεωμένοις,
οὔθ᾽ Ἡρακλῆς κτλ.

2) Velut Nub. 56. Pac. 824. 868 etc.

3) Eq. 242 sq. Lys. 254. 266. 321. 356. 370. Eccles. 41 sq. 46 sq. 52 sq.

4) Quod ut iudicium illustrem, nonnulla proferam exempla: praebent nomina in Ach. Lamachi 16, in Ran. Aeschyli 23, in Thesmoph. Euripidis 11, Agathonis 8 versus; — in Vespis Philocleonis 4, Bdelycleonis 3; in Eq. Agoracriti 3; in Nub. Strepsiadis 4, Phidippidis 5; in Pace Trygaei 5, in Avibus Pithetaeri 5, Euelpidis 1; in Eccles. Blepyri 1, Praxagorae 3 versus; saepius nominantur Dicaeopolis in Acharn. (8ies Lysistrataque in fabula eiusdem nominis (11ies). — Nomina propria personarum secundarum partium semel vel bis nominantur, quia persona histrionis satis, quis illudatur, detegit.

5) Cf. p. 20.

est ex parte veteris comoediae a prologo usque ad parabasim pertinente, ex ipsa ludi fabula, non ex illis scaenis laxe inter se conexis. Quid mirumst, quod personis comoediae Menandreae et Terentianae item nomina indita sunt propria atque plurimis personis Aristophaneis in parte comoediae principali?

IV. De abitu histrionum.

Aesch. Suppl. 503 Danaus de scaena decedit, postquam rex ei mandavit, ut *κλάδους* virginum per urbem ad deorum aras deponat, nonnullisque imperavit satellitibus, ut senem comitentur. Quod argumentum fingit poeta, ut regem de scaena semoveat, qui vs. 600 ad nuntiandum reverti possit; ipsum argumentum Aeschylum non admodum curasse ex iis verbis elucet, quibus Pelasgus vss. 517 sq. cur abeat probat:

ἐγὼ δὲ λαοὺς συγκαλῶν ἐγχωρίους
στείχω, τὸ κοινὸν ὡς ἂν εὐμενὲς τιθῶ·
καὶ σὸν διδάξω πατέρα ποῖα χρὴ λέγειν.

Vss. 517 et 518 bene ad rem quadrant, non vs. 519. Speramus enim fore, ut Danaus ipse in contione pro liberis suis verba faciat; at neque Danao in scaena astante quicquam, quod talem ad orationem senis spectet, legitur et postea Danaus contionis eventum enarrans orationis regis tantum (615), non quam ipse habuerit, facit mentionem. Vs. 523 Pelasgus scaenam relinquit causa abeundi bene explanata; scaena igitur vacuefacta est et ad spatium temporis, quod ad contionem habendam opus est, adumbrandam chorus canit. Ubi Danaus Argivos Iove anctore virgines pereginas esse recepturos nuntiavit (600), chorus cantico Argolidem celebrat gratoque animo pro patronis deos precatur. Pater in scaena adest, quamquam in cantico non appellatur. Cur eum scaenam relinquere putas, ut Oberdieckius [1])? Stat summa in ara [2]). Canticum inserit poeta, ut hanc

1) *Die Schutzflehenden des Aeschylus Berlin 1869 p. 153.*
2) Cf. p. 4 sq.

scaenam diiungat ab ea, quae sequitur. Chorum adventu imminente hostium perturbatum Danaus consolatur, ne deos neglegat, monet abitque, ut ipse auxilium accersat, quamvis filiae patrem, ut maneat, petunt multis precibus. Stasimum, quod canere incipiunt, histrioni tempus ad vestem mutandam praebet. Qua de causa Danaus de scaena decedat si inquirimus, poetae ante omnia interesse videmus ipso momento abitus, curnam abeat histrio, explicare. Aufugerat pater, ut homines auxilio vocaret; at non — ut exspectamus — quam celerrime redit adiutoribus comitantibus et quidem Pelasgo ipso ministrisque. Immo vs. 911 Pelasgus accurrit, quia virgines clamantes (889 sq. 898 sq.) audivit, non arcessitus per Danaum; et Danaus ipse redit vs. 980, postquam regem decem fere versibus ante, ut patrem accerseret, rogaverunt puellae. Ut ex Danai verbis cognoscimus, advenit, filias ut permoveat ad gratias referendas; neque vero hic se esse arcessitum a Pelasgo dicit. Tum Argivorum iussu milites eum comitantur — non, ut virgines supplices ab Aegyptiis defendantur, sed ut ipse tutus sit ab insidiis; puellae enim iam a Pelasgo liberatae sunt; et Danaus hoc scit. Sciens autem fingitur (quamquam ipse non adfuit liberationi), quia sciunt auditores.

His in primis tragoediae originibus poeta abitum et aditum histrionum nondum tam arte cum actione conglutinare didicit, nulla ut rima dehiscat. Nam difficultates non parvas affert parvus histrionum numerus, quo contentus esse cogitur. Nam histrio, qui partes Danai suscipit, idem praeconis agere debet; alter enim Pelasgi partibus fungitur. Inde fit, ut Danaus triginta fere versibus post praeconis abitum in scaenam revertatur neque auxilii ferat quicquam filiabus auxilio non iam egentibus et regis abitus argumento quodam fulciatur non consentiente cum illo, quo decem fere versibus post Danai reditio probatur.

Pariter atque Supplices Persas Aeschylus exstruxit. Ad chorum accedit Atossa, quae cum senibus colloquitur item atque Danaus cum virginibus. Supra iam[1]) exposui

1) Cf. p. 6.

nos hodie has personas intuentes quasi manibus posse apprehendere primum actorem fuisse coryphaeum. Quis enim est Danaus et Atossa, nisi coryphaeus, qui a choreutis sexu solo differt? Danaus filiaeque et Atossa principesque non tam duas partes repraesentant, quae diversos mores sententiasque praedicent contrarias, quam hominum catervam, ex qua unus progressus colloquitur cum reliquis. Itaque histrio et chorus non hostiliter invehuntur alius in alium, sed ut amici aequales omnium fortunarum et gaudii laborumque sunt socii.

Postquam Atossa mirum quod somniavit proxima nocte somnium detexit et chorus, ut sacra et inferis et coniugi faceret, suasit, prodit nuntius in scaenam, qui choro classem esse victam Persarum refert reginaeque interroganti principes enumerat mortuos describitque fugam perniciosam. Atossa, quae re vera evenisse somnium perspicit, declarat choro (522):

. . . θεοῖς μὲν πρῶτον εὔξασθαι θέλω·
ἔπειτα γῇ τε καὶ φθιτοῖς δωρήματα
ἥξω λαβοῦσα πέλανον ἐξ οἴκων ἐμῶν . . .

domumque abit. Et nuntius? Eum quoque abire manifestum est, quamquam abitus eius non accuratius explicatur; redit enim hic histrio vs. 681 Darei gerens personam. Dixit nuntius, quod dictum venerat; itaque abit. Haec prima nobis quidem persona causa peculiari non indicata abit. In reliquis quoque tragoediis (et Sophoclis Euripidisque) abitum nuntiorum diligenter probare poeta supersedet. In scaena ab histrionibus nudata canit chorus, temporis ut decursum adumbret (cf. primum Suppl. stasimum), dum regina vestem mutat (607) sacraque praeparat. Vs. 597 redit in scaenam et inferis sacra devovet, dum chorus secundo cantico animam Darei obsecrat. (Eadem est condicio rerum, quae in Suppl.: persona astante secundum canticum ad duas scaenas diiungendas compositum est.) Dareus mortuus Plutonis ex regno ad lucem elicitus quaerit ex choro et muliere, quid velint, et cum chorus vereatur colloqui, coniunx classis Persarum refert calamitatem. Dareus postquam admonuit uxorem, ut filio male vestito novo

ex aedibus vestimento adportato obviam eat, officio suo perfunctus in umbrarum regnum submergitur. Atossa autem dicit (849):

> ἀλλ' εἶμι, καὶ λαβοῦσα κόσμον ἐκ δόμων
> ὑπαντιάζων παιδί μου πειράσομαι.
> οὐ γὰρ τὰ φίλτατ' ἐν κακοῖς προδώσομεν

et domum se confert. Chorus canit in scaena vacua, dum histrio Xerxis personam induit. (Item tertium canticum Suppl. scaena derelicta canunt virgines, dum histrio, qui Danai partes agit, personam induit praeconis).

In tragoedia Persarum in universum non illas discrepantias reperimus, quas in Supplicibus poeta studio abitus histrionum probandi pellectus admisit. Causam solam, qua prolata Atossa vs. 851 abit, acrius consideremus. Pollicita erat secundum Darei iussum se Xerxi obviam ituram novumque vestimentum esse donaturam. Sed in tragoediae exodo Xerxes solus comitante nullo satellite in scaena praesto est neque Atossa revertitur. Exodus Persarum aliter instituta est atque Supplicum: nullum histrionum colloquium continet. Nec causa latet circumfusa tenebris: neque enim Aeschylus neque spectatores anni 472 hominis pannis vestiti conspectum patiebantur in ludo tragico. Quemadmodum iudicaverint Graeci de mendico heroum Euripidis vestitu, nemo ignorat (cf. inprimis Euripidem in Ar. Acharnensibus). Ut Xerxes Dareus Atossaque non alia dictione utuntur quam heroes Graeci fabularum Aeschyli[1]), ita Xerxem tectum vestimento pannis obsito in scaenam ingredi dedecebat[2]). Ut regem Persarum fugatum mendici fugientis veste non indutum in scaenam producere posset, poeta hunc Darei iussum excogitavit, quo probaret et abitum reginae et talem filii aditum. Atossa igitur ideo in exodo tragoediae non revertitur, quia Xerxem interim

---

1) Cf. J. Bruns *Das literarische Porträt der Griechen 1896 p. 55: „Sie sprechen keine andere Sprache als die Labdakiden und Tantaliden. Sie sind wie seine anderen Gestalten durch eine unübersteigliche Schranke von der gemeinen Wirklichkeit geschieden“.*

2) Cf. G. Christ-Schmid l. c. p. 277 adn 1, qui adhuc solus rem ita esse perspexisse videtur.

iam nova veste a matre donatam Aeschylus fingit. Non rei satis faciat, quicumque ita ratiocinetur: histrio, qui partes Atossae agit, Xerxis quoque partes suscipit; ergo Atossa redire nequit. Quid tandem impedivit, ut alter histrio Xerxis personam indueret? Eo autem consilio Aeschylus non facit matrem in scaena filium consolantem, ut luctus et maeror regant fabulae exitum[1]).

Sept. vs. 68 nuntius postquam se porro, hostes quid infesti in animo habeant, exploraturum Eteoclique nuntiaturum esse dixit, scaenam relinquit et Eteocles, ut sibi adsint, deos implorat. Tum virgines Thebanae hostium impetu stupefactae trementesque in scaenam procurrunt et a deis deabusque precibus petunt strenuis, ut auxilium ferant. Eteoclem quamquam in scaena manentem chorus non appellat, tamen ipse carmen virginum respicit; invehitur enim acriter in eas atque ut taceant imperat. Puerilis ars rudisque spectator non quaerit, cur tam diu patiatur Eteocles mulierum lamentationes.

Quas mutationes chori primum canticum, quod voce p a r o d i significare solemus, perpessum sit, si perscrutamur, progressionem quandam indagare licet. Supplices et Persae incipiunt a parodo (non a prologo, quem Phrynichus in Phoenissis anno 476 primus adhibuisse — nobis quidem —

---

1) Communis quae vocatur virorum doctorum opinio est (cf. veluti Bergkium *Griechische Literaturgeschichte 1884 III p. 290*, Wilamowitzium Herm. XXXII (1897) p. 387, Bethium l. c. p. 327. 332) Xerxem discissis indutum vestibus progressum esse. Neque mirumst, quod mandatum Darei ab Atossa in scaena ipsa non peractum Bergkium pellicuit, ut tragoediam retractatam esse pro sua consuetudine coniectaret. — Perperam P. Richter *(Zur Dramaturgie des Aeschylus Leipzig 1892 p. 100)* nititur in vs. 1030:

πέπλον δ' ἐπέρρηξ' ἐπὶ συμφορᾷ κακοῦ.

Conferas velim ad aoristi tempus vs. 1026 *κατεῖδον* et 1035 *ἐκολούσθη* sc. apud Salamina; vs. 1036 demum suam praesentem condicionem rex contemplatur: *γυμνός εἴμι προπομπῶν.* Itaque hoc aoristi tempus (*ἐπέρρηξα*) non referendumst ad vestem, qua nunc est ornatus, sed ad togam regiam, qua amictus pugnae interfuerat domumque fugerat (cf. 834 sq.).

videtur)[1]), quod canticum his in tragoediis certe canitur in scaena vacua. Deinde parodo prologus praemitti solet: nunc aut manet histrio aut scaena ab histrionibus relicta chorus canere incipit. In Septem histrio astans non respicitur, nedum compelletur a choro; Eteocles ipse virgines clamare et canere sinit, cantico demum percantato, ut tandem conticescant, flagitat. Sed histrio in scaena manens decursu temporum cantum alternum (*κομμόν*) procreavit necessario. Quanta autem fuerit potentia forma parodi genuina, inde quoque discimus, quod in Choephoris Electra una cum choro progressa non ilico cum choro colloquitur, sed tacet, dum chorus officio fungitur sententiasque fabulam exponentes cantico profert[2]). Medea Euripidis primum nobis quidem exemplum exhibet parodi commatice compositae. Quodsi Prometheus unica ex Aeschyli tragoediis parodo commatica praedita est, novum argumentum offert eis, qui tragoediam ita exstructam, ut hodie legimus, Aeschylo abiudicant[3]). Praeter Medeam Prometheaque Sophoclis Electr., Phil., Oed. Col. et Euripidis Hec. Troad. Heracl. Io. Iph. Taur. El. Hel. Or. parodum habent commatice exstructam. Uter legem fregerit tralaticiam naturamque secutus personam praesentem canentem alternis cum choro finxerit prior, diiudicari nequit. Veri non est dissimile Sophoclem primum ita mutasse parodi formam. Sophocles enim „quam maxime“ studuit, „ut formam stasimi a *μέλος χοροῦ* in *μέλος χοροῦ καὶ ἀπὸ σκηνῆς* converteret“[4]). Ter personae astantes ut appellantur a choro ita non cantici sunt participes: in Euripidis Supplicibus Adrastus humi iacet (20) Aethramque obsecrat chorus matrum, ut se in mortuis sepeliendis adiuvet; Aethra autem nihil respondet. In Hercule Euri-

---

1) Cf. supra p. 3 et infra p. 56 sq.

2) In Aeschyli Agamemnone Clytaemestra post parodum in scaenam introit; vss. 83 sq. nihil continent, quod spectet ad reginam in scaena sacra facientem; sed Clytaemestram per totam urbem aras ornavisse sacris enarrant (*τίνος ἀγγελίας πειθοῖ περίπεμπτα θυοσκεῖς*).

3) Cf. supra p. 7 sq.

4) Cf. D. Dettscheff De tragoediarum Graecarum conformatione scaenica ac dramatica Gotting. diss. 1904 p. 60.

pidis Amphitryo, Megara, liberi ad aram sedent cantusque chori brevissimus est (107—137); queruntur senes fortunam Herculis liberorum, quorum ex oculis animus agnoscitur patri similis. In Andr. Hectoris uxor πρὸς τόδ' ἄγαλμα θεᾶς ἱκέτις περὶ χεῖρε βαλοῦσα (115) appellatur a choro, qui, ut surgat mulier, blande precatur (135), sed Andromacha nihil respondet.

Persona quae praesto est, dum parodum canit chorus, primarum partium persona esse solet. Pristina tragoedia, quae tetrametros et trimetros i. e. partem histrionalem acriter diiungit a parte lyrica, parodum alternum canticum et chori et histrionis esse non sinit. Itaque in Aeschyli tragoediis personae principales post parodum demum cum choro sermonem adnectunt (Danaus, Atossa, Eteocles, Clytaemestra, Electra). Decursu temporum postquam chorus loco principali decessit — vis autem chori quamquam non ita magna erat, tamen postulavit, ut cum persona principali semel saltem amplius rem gereret — facile adduci potuit poeta, ut primum chori canticum ita usurparet, ut chorum statim alterno cantico cum persona primarum partium colloquentem induceret. Ita spectatores optime de rebus ad fabulam exponendum necessariis poeta erudire potuit. Et cum primum episodium non iam occuparetur colloquio chori et histrionis, spatium erat actioni histrionali augendae.

Sed redeamus ad Aeschyli Septem. Vss. 283 sq. Eteocles sermonem, quem habuit cum choro, ad finem perducit seque ante septem portas sex duces seque ipsum septimum collocaturum esse choro explanat. Pro certo his ex verbis concludendumst eum de scaena decedere; et quivis auditor hoc temporis momento adulescentem in pugnam se quam celerrime collaturum neque nisi mortuum in scaenam esse rediturum opinatur. Sed aliter rem Aeschylus instituit. Postquam chorus in scaena vacua quantopere timeat servitutem impendentem declaravit neque ullo verbo consilium Eteoclis commemoravit, in initio episodii sequentis et explorator et Eteocles revertuntur. Nunc demum singulis hostium ducibus

adulescens adversarios eligit idoneos septimoque duci Argivorum Polynici semet ipsum. Facere non possumus, quin statuamus Aeschylum, qui cur abiret Eteocles argumentari voluit, levem quandam discrepantiam oriri passum esse, cuius haud scio an sibi ipse fuerit conscius. Virgines Eteoclem de certamine nefario retinere conantur; sed frustra orant et obsecrant. Irruit in pugnam, irruit in necem. Ipsa actione scaena vacuefacta est alterumque incipit canticum. Nuntius urbem esse servatam fratresque necem sibi conscivisse choro interrogante profitetur[1]); postquam abiit, canitur tertium stasimum. Tria huius tragoediae cantica cuncta concinuntur scaena a personis relicta, primum et alterum ad temporis longius intervallum denotandum et tertium insertum est, ut histrioni ad vestem mutandam occasio detur.

Tribus vetustioribus Aeschyli tragoediis perlustratis accedimus ad Orestiam et ad Sophoclis Euripidisque fabulas, quae in scaena transfigurata i. e. fronte aedium instituta actae sunt. Quas priusquam tractemus, paucis complector ea, quae tres tragoediae vetustissimae nos docuerunt. Ex numero novem canticorum quattuor ad temporis decursum significandum, tria ad vestimenta mutanda, duo sunt composita ad diiungendas tantummodo scaenas. Eadem duo (Suppl. 630 sq. et Pers. 633 sq.) decantantur persona aliqua in scaena praesente. Nullum canticum potest inveniri, quod destinatum sit ad longius temporis spatium denotandum persona remanente. Hoc summi est momenti, praesertim cum omnibus ceteris tragoediis confirmetur.

Poeta tragicus fabulam quandam adhuc carminibus vel epicis vel dithyrambicis vel alias nondum tractatam producit in scaenam. In carmine autem neque loci neque temporis ratio ullam offert difficultatem. At cum scaenae simplicitas commutari locum prorsus fere vetet, unitatem loci servat poeta necessario. Mutare locum media in tragoedia poeta si cupit, chorum scaenam relinquentem denuoque in scaenam nunc alia loca praestantem fingere in-

1) Cf. p. 2.

troeuntem cogitur; conferas velim Aesch. Eumen. 234. 244 et Soph. Ai. 814. 866. Neque aliter persaepe altera vel tertia tragoedia vel fabula Satyrica eiusdem tetralogiae in scaena aliam praestante regionem agi potest: chorus interim abit et novus chorus in novam orchestram ingreditur: Agamemno et Choephori Mycenis, Eumenidum autem initium agitur Delphis. Multo saepius evenit, ut poeta dramaticus legem temporis unitatis servandae violet; facta enim in carmine epico complures dies vel menses continentia in ludum unius diei vel potius paucarum cogere debet horarum. In tragoediis vetustissimis uno histrione utentibus, in quibus narrationes ab alia condicione ad aliam traducunt[1]), idem canticum et aliam condicionem cantico illustrat et tempus explet, quo aliud fit, quod sequenti in episodio factum esse narrat histrio. Aeschylus actionis in formam ludum tragicum vertit[2]); sed multae res sive inopia temporis sive paupertate apparatus scaenici sive ipsa rei natura in scaena agi nequeunt. Paucas igitur scaenas maxime idoneas ad agendum et ad spectatorum animos permovendos producit. Sin autem alia scaena aliam sequitur, inter quas quid ad actionem pertinens, in scaena autem quod agatur aliqua ex causa non idoneum, intercessisse spectator opinari debet, cantico eas diiungit poeta. Veluti dum primum stasimum Aeschyli Danaides concinunt, contio habetur, quae Pelasgo auctore virgines supplices recipere constituit. Certe ad contionem habendam re vera longiore temporis spatio opus est. Tamen nemo offendit, scaena quia vacua est. Itaque spectator facile sibi potest animo effingere praeterisse longius temporis intervallum, quam re vera praeteriit. Contra si quis adesset in scaena, non longius temporis spatium intercessisse existimaret spectator, quam praeteriit, dum ille histrio in scaena manet. Si exempli gratia canticum quintam duraret horae partem, non complures horas vel dies interiectos esse spectator suspicaretur, sed temporis, quod manendo consumpsisset histrio spatium i. e.

---

1) Cf. p. 12 sq.

2) Cf. p. 14 sq.

quintam horae partem. Sin autem nemo adest, quodvis spatium temporis interici potest, quia chori canticum hac quidem in re eadem qua carmen epicum libertate fruitur. Iam non miramur, quod nullum tale invenimus canticum, cui adesse histrionem ullo argumento cogeremur ponere. Quando tandem adest? Quando non?

Persona non permanet, si in exitu episodii ex ipsius verbis vel actione eam abituram esse consequitur. Primum igitur eo argumento utimur, quo iam supra in tribus Aeschyli tragoediis vetustioribus perlustrandis usi sumus [1]). Sed cum in his tragoediis Aeschyleis nullum canticum reperiri possit, cui neminem adesse alia ex causa colligi possit, permulta sunt in Sophoclis et Euripidis tragoediis cantica, quibus ex initio demum episodii sequentis conclusionem facere possumus, adfueritne persona necne; aut eam non iam adesse efficere cogimur aut adesse denuo progressam [2]). Ergo spectatorem non esse offensum histrione domum suam ingrediente, quamquam causa abitus non esset expressa, luculenter intellegimus.

Interdum persona causa non prolata domum intrat, decursu autem scaenae sequentis, cur intrantem fingere debuerit poeta, aperte cernimus. Velut Deianira Trach. 632 certe domum introit, nuntiat enim vs. 682 sq. effectum remedii terribilem interim domi expertum. Identidem autem personae domum intrant, quamquam cur intrent, omnino enucleari nequit (velut Creo Ant. 325, ut ex versu 386 elucet). Scaenam igitur relinquunt item atque nuntii et ministri, quia dixerunt, quod dicturi erant, et domum introeunt, quia ibi habitant. Cur tandem tam diu taciti, dum canit chorus, praesto maneant? Certe haec abeundi ratio,

1) Velut Antigona in fabula eiusdem nominis abit post versum 99; dixerat enim (80): *ἐγὼ δὲ δὴ τάφον χώσουσ᾽ ἀδελφῷ φιλτάτῳ πορεύσομαι*; et Ismenae mandatum (vs. 98 *ἀλλ᾽ εἰ δοκεῖ σοι, στεῖχε*) quasi persequitur.

2) Non iam adest velut Ismena in Antigonae parodo et Hyllus Trachin. 821. Personam interim domum esse ingressam et in initio novi episodii prodire modo elucet ex adnuntiatione chori (ut Ant. 386. Hipp. 1156) modo ex ipsa actione (ut Pentheus Bacch. 642 proruit ex domo sua; ergo alteri stasimo non adfuit). Cf. et Deckingerum l. c. p. 157 sq.

quam ipsa offerebat natura apparatus scaenici, histrionibus facultatem recreandi sui non ingratam dabat.

Ergo ut non exspectare debemus abitum personae expresse probari, ita mansioni eius causam aliquam subesse ponere cogimur. Neque hanc positionem res ipsae fallunt.

Manere histrionem non tum contendimus, cum causa abitus non explicata est — multi enim argumento non allato domum ingrediuntur — neque cum persona, de qua agitur, a choro appellatur. Quae appellatio apud Sophoclem Euripidemque in formulam iam abiit; persona non tam appellatur proprio sensu, sed inclamatio quaedam est, quae originem ducit ex hymnorum dictione. Persaepe adhibetur, ubi personam appellatam non praesto esse pro certo dici potest [1]). Immo manendi causam ex ipsa s c a e n a e vel a c t i o n i s natura indagemus necesse est.

Primum persona cogitur manere, cum nulla domus fingitur, quam ingredi potest. S c a e n a non permittit. Prometheus per totam fabulam ad saxum vinctus in scaena conspicitur. Et Oedipus Coloneus alteri et tertio stasimo adest; scaena enim lucum ostentat; vs. 1555 demum scaenam relinquit, deorum ut in regnum ineat.

Tum a c t i o n e fit nonnumquam, ut persona maneat. Aeschyli Erinyes primum alterumque stasimum cantantes Orestam cingunt neque eum Athenae in templum introire patiuntur. Cassandra (Ag. 974) non cum Agamemnone et Clytaemestra intrat, sed post canticum vaticinia eloquitur et semel atque iterum amimo perhorrescens cruorem portam ingreditur domus nefastae. Menelaus Helenae primo stasimo (1107) interest; iusserat enim Helena (1085):

αὐτοῦ μένʼ· ἢν γάρ καί τι πλημμελές σε δρᾷ,
τάφος σʼ ὅδʼ ἂν ῥύσαιτο φάσγανόν τε σόν.

Sequenti demum in scaena ab hospite Theoclymeno, cuius animum Helena precibus mitigavit, domum introducitur

---

1) Cf. Soph. Ant. 949. 987. O. R. 1192 sq. Eur. Alc. 226. 435 sq. Hipp. 1133 sq. 1142 sq. Her. 434. 691. 1022 sq. Hel. 1120 sq. (Helena absens appellatur, non Menelaus praesens (cf. p. 50. 55).

Ipsum introitus momentum Euripides praedicat, ut iam in Alcestide: diu cunctatur Admetus neque ab animo potest impetrare, ut domum uxore orbatam ingrediatur (872. 913 sq. 924 sq. 941) tristique vultu ante aedes stat; nec prius intrat, quam ei contingit, ut laeto animo simul cum uxore ab Hercule Mortis e manibus erepta intrare possit.
Dilucidius etiam dedita opera Sophocles facit in scaena manentem Electram (1057): contentionis finem efficit Chrysothemis (1050):

ἄπειμι τοίνυν· οὔτε γὰρ σὺ τἄμ' ἔπη
τολμᾷς ἐπαινεῖν οὔτ' ἐγὼ τοὺς σοὺς τρόπους.

Et Electra respondet:

ἀλλ' εἴσιθ'· οὔ σοι μὴ μεθέψομαί ποτε
οὐδ' ἢν σφόδρ' ἱμείρουσα τυγχάνῃς, ἐπεὶ
πολλῆς ἀνοίας καὶ τὸ θηρᾶσθαι κενά.

Itaque sororem abeuntem non sequitur; neque per eandem portam atque soror odiosa introire cupit neque in aedibus conspicere matrem (cf. vs. 817)[1]). Inde ab initio Troadum humi iacet Hecuba, donec in exitu una cum choro per Talthybium eiusque satellites in servitutem deducitur. Perpetuam Hecubae praesentiam testatur prologus Neptuni (36 sq.):

τὴν δ' ἀθλίαν τήνδ' εἴ τις εἰσορᾶν θέλει,
πάρεστιν, Ἑκάβην κειμένην πυλῶν πάρος
δάκρυα χέουσαν πολλὰ καὶ πολλῶν ὕπερ.

Accedunt ultima primi episodii verba (507 sq.):

νῦν δ' ὄντα δοῦλον, στιβάδα πρὸς χαμαιπετῆ
πέτρινά τε κρήδεμν', ὡς πεσοῦσ' ἀποφθαρῶ
δακρύοις καταξανθεῖσα.

Iure Wilamowitzius iudicat optimo: Hecuba *„hält durch ihre Person die Einzelszenen zusammen, da sie niemals die*

---

1) 817 ἀλλ' οὔ τι μὴν ἔγωγε τοῦ λοιποῦ χρόνου
ἔσομαι ξύνοικος, ἀλλὰ τῇδε πρὸς πύλῃ
παρεῖσ' ἐμαυτὴν ἄφιλος αὐανῶ βίον.
820 πρὸς ταῦτα καινέτω τις, εἰ βαρύνεται,
τῶν ἔνδον ὄντων· ὡς χάρις μέν, ἢν κτάνῃ,
λύπη δ', ἐὰν ζῶ· τοῦ βίου δ' οὐδεὶς πόθος.

Bühne verläßt". Certe Hecuba olim regina dura super stramenta incubans spectatorum animos graviter permovere potuit, praesertim cum iam per se persona totam per fabulam praesens conspectum non usitatum praeberet nec vulgarem. Orestes denique in tragoedia eiusdem nominis non solum per parodum, sed etiam primum per stasimum manet in scaena; decumbit enim in lecto iubente Electra (311):

ἀλλὰ κλῖνον εἰς εὐνὴν δέμας
καὶ μὴ τὸ ταρβοῦν κἀκφοβοῦν σ᾽ ἐκ δεμνίων
ἄγαν ἀποδέχου, μένε δ᾽ ἐπὶ στρωτοῦ λέχους.

His igitur locis pro certissimo contendi potest personam non decessisse de scaena. Quaestionem si instituimus, quomodo se gerat chorus in personas praesentes, Aeschyli Orestis chorus et Promethei (in primo secundoque stasimo) earum habet rationem; Cassandram autem adhuc ignotam chorus non commemorat; sane conspectus sacerdotis, etiamsi a choro canente neglegitur, vim auget chori praesagiorum. Cur tertio in Promethei stasimo Promethea finxerit chorum neque appellantem neque quicquam respicientem poeta, dummodo Aeschylo tribuatur hoc canticum, dicere nequeo. Electra autem Sophoclis et Euripidis Admetus et Orestes respiciuntur, cum Hecuba Troadum Menelausque Helenae plane neglegantur.

Haec cantica, quibus personas interesse statuimus, partim scaenis diiungendis partim actoribus alia veste induendis poeta destinavit, nullum ad longius temporis spatium adumbrandum. Exceptionem primo obtutu videntur facere duo cantica Eumenidum; sane primum canticum explet spatium temporis, per quod Athena precibus Orestis (292) arcessita longum iter facit ab Scamandri ripis ad Cephisi; sed cum divinum numen sit, non homo, brevi tempore talem viam pervolat. Item per secundum canticum Athena iudices convocat. Ambo igitur stasima non ad temporis longioris spatium intermittendum composita sunt, sed potius in eorum numero paene habenda sunt, quae scaenas binas seiungunt.

Locus actionis chorique natura quodammodo inter se

cohaerent. Semper fere chorus aliqua ratione cum persona personisve scaenae aedes habitantibus conexus est. Semper fere si non amicum in illas personas, at tamen non se praebet infestum. Praeter enim Aeschyli Eumenidas, quae hoc in disputationis contextu afferri nequeunt, quia frons scaenica non arcem Mycenaeam, sed Apollinis et deinde Athenae templum ostentat, una tantum tragoedia exstat, in qua chorus personae domum scaenicam incolenti adversatur quam acerrime: Bacchas dico Euripidis. Dum chorus alterum canit stasimum, Pentheum non adesse ut non ex ultimis secundi episodii versibus, ita consequitur ex versu 642, ubi Pentheus foras se proripit ex porta. In eo enim niti non possumus, quod chorus (537 sq. et 555) de Pentheo canit tertiam adhibens personam. Nam in altero Sophoclis Electrae stasimo, cui interesse Electram supra [1]) demonstratum est, chorus de Electra cum loquitur, et tertia persona (1075) et appellatione (1085. 1090 sq.) utitur [2]). Etiam in stasimis, quibus neminem ponimus praesto esse, in secundo Euripidis Orestis et in tertio Sophoclis Oedipi Regis (de quo iam agemus) ad personam absentem indicandam modo tertia persona modo altera usurpatur. Quamquam — et revertamur ad quaestionem, utrum Pentheus primo stasimo intersit necne — neque in exitu primi episodii neque in exordio secundi abitus Penthei commemoratur, tamen eum non adesse pro certo haberi potest. Pentheus Tiresiae Cadmique consilium aspernatus dedignatur se conferre ad orgia Bacchi, quin etiam ipsum comprehendere iubet ministros. Primum non facile crediderim ultima Tiresiae verba (360 sq.) audisse Penthea, neque enim appellatur, sed tertiam personam usurpans regi vates maledicit, cuius ad convicia Penthea praesentem non respondere cogitari nequit. Huc accedit canticum ipsum: indignatae Bacchi ministrae invehuntur asperrime in nefarium impiumque atque fore, ut

---

1) Cf. p. 49.

2) Aliter iudicandumst de Euripidis Orestis primo stasimo: pro adulescente rogans tertiam personam (325), querens autem de misero appellationem chorus usurpat.

scelestum improbi Pentheos animum calamitate Bacchus affligat, sperant. Quae verba — non dissimilia sententiis, quas eloquitur secundo in stasimo chorus Pentheo absente — in novi episodii initio non respicit Pentheus, quem Wecklinius in scaena remansisse arbitratur. Certe vs. 434 adest non nuntiatus, sed ex eo, quod adventus eius non indicatur, nihil consequitur. Argumentum, quod profert Wecklinius: „*Pentheus bleibt, die Vorführung des Dionysos erwartend, die folgenden Worte des Chors nicht beachtend*“, ipsum eum refutat. Cur verba chori negleget? Et unde tandem scit compertumque habet Pentheus ministros deum in montibus capturos esse tam celeriter? At hoc canticum indicat temporis longius intervallum, quod necessarium est ad comprehendendum Dionysum. Proinde adesse nequit; exspectare autem potest non minus bene, vel potius melius aptiusque domi suae, quam ante domum in platea sub oculis virginum maledicta in inimicum conicientium.

Similiter secundum Wilamowitzium (*Griechische Tragödien III.*) permanet Oedipus Rex per parodum tertiumque stasimum exspectans chori, qui repraesentat contionem, adventum et pastoris. Sed Oedipum parodo non interesse et simul cum Creonte, quocum in prologi exitu sermocinatur, domum introisse cum ex abitu Creontis apparet, quem causa non prolata scaenam reliquisse ex eo collegi potest, quod in initio primi episodii non adest — neque enim ulla sine causa alter abit alter remanet — tum ex versu 288: *ἔπεμψα γὰρ Κρέοντος εἰπόντος διπλοῦς πομπούς*; Oedipum igitur interim colloquentem cum Creonte Sophocles fingit. Ergo hoc carmine longioris temporis intervallum intercessisse significatur. Oedipus ergo non adest. — Item tertio stasimo eundem adesse sinit Wilamowitzius (quamquam non expresse eloquitur, tamen Iocasten solam abeuntem adnotat); haud scio an proficiscatur ab eo, quod pastoris adventum exspectare Oedipum existimat. Wolffius quidem ad vs. 1086 sq. explicat: „*Oedipus bleibt auf der Bühne, grübelnd und etwa von Zeit zu Zeit nach dem Hirten ausschauend*“. Quod argumentum cur nihil valeat, exponere supersedeo. Ut canticum alterum ita tertium quoque lon-

gius temporis spatium intericit, donec pastor Lai accersatur; regem autem non interesse alteri stasimo apparet ex verbis Iocastae hortantis (861): *ἀλλ' ἴωμεν ἐς δόμους*.

Egi copiosius de his canticis tribus longius tempus intermissum indicantibus, quia eis adesse personam nonnulli viri docti existimabant. Aperte autem observationes nostras non possunt perturbare.

Certe est commemoratu dignumst, quod nobis quaerentibus, utrum canticis histrio adsit necne, agendum erat de illis modo personis, quas domum scaenae incolentes fingunt poetae, numquam de illis, quas in urbe vel alibi domicilium habentes et in dextram laevamque partem abeuntes faciunt. Haec res per se iam demonstrat poetam harum abitum causa aliqua probare — interdum sane ita, ut discrepantiae vel leves vel graviores oriantur —, illarum non, quia — ut quivis exspectat — secundum naturam domum ingrediuntur, nisi ipsa actio idoneam causam offert, quam et choro et spectatori ipso in momento abitus audire licet.

In Aeschyli Supplicibus, Persis Septemque perlustrandis supra vidimus, quantas in salebras incideret poeta in ludi tragici pueritia, qui omnium personarum abitus probare cogebatur. Sed iam in Agamemnone, qua in agenda tragoedia scaenica fronte aedium utitur, Aeschylus hoc instrumentum ita usurpat, ut Clytaemestrae abitum (354) nulla ratione vel ratiuncula excuset[1])!

In Philocteta quoniam Sophocles compluribus pro stasimis alterna cantica supponit, unum saltem chori canticum inserere vult. Sed cum stasimum hoc fabulae loco collocatum contra naturam demoretur actionem, personae cur abeant, argumentari cogitur (674). Subito dicit Neoptolemus: *χωροῖς ἂν εἴσω*. Et Philocteta affirmat: *καὶ σέ γ'*

---

1) Clytaemestra vs. 587 denuo loquitur; neutiquam regina praesente exitus stasimi potest cantari (cf. 475 sq.); tum chori versus (583 sq.) aperte ostendunt chorum saltem opinari reginam non esse praesto. Et Weilius et Wilamowitzius Clytaemestram abisse existimant. Richterus l. c. p. 154 sq. uberius abitum defendit, sed ita, ut vix cuiquam persuadeat; recte autem ratiocinatur Deckingerus l. c. p. 34 adn. 1.

εἰσάξω· τὸ γὰρ νοσοῦν ποθεῖ σε ξυμπαραστάτην λαβεῖν. Neque Neoptolemus adhortationem ullo modo fulcit neque Philoctetae verba necessitatem abeundi probabiliter exponunt [1]).

In universum solet poeta cantica inserere, cum actio scaenam vacuefecit; sed interdum (ut Philoct. 676) necessitate cantici inserendi — neque enim umquam caret tragoedia chori canticis — adducitur poeta, ut de scaena personas ableget. Ergo et scaena actione vacuefacta efficit, ut canticum intericiatur, et necessitas cantici intericiendi efficit, ut scaena fiat vacua.

Eadem in scaena, in qua agebantur tragoediae, agebantur etiam comoediae. Quamquam permulta tragoediam a comoedia separant, tamen hac in re si utramque congruere videbimus, non mirabimur. Et in comoedia domum intrare persona scaenamque relinquere solet. Ut Aristophanes nequaquam semper causam abitus diligenter exponit, ita certa quodam formula abitum indicare solet: velut Vesp. 1068: *ἀλλ' εἰσίωμεν.* Av. 1469: *ἀπίωμεν ἡμεῖς.* Lys. 779: *ἀλλ' εἰσίωμεν.* Adest autem persona perraro; sin adest, certa causa posita in actione est. Canticis, quae vocantur *παραβάσεις* nemo interest [2]) praeter Thesmophoriazusarum: Mnesilochus enim praesto est tribus a mulieribus custoditus; cantico 1136 sq. quoque adest dormientis satellitis sub cura. Parodi Eq. Nub. Pac. Av. Eccles. Plut. commatice exstructae sunt Ranarumque parodi initium, cum Dionysus et Xanthias paulo post chori introitum se abdant in occultum. Parodi Lysistratae Acharnensiumque et Thesmophoriazusarum nullo actore in scaena praesente cantantur; Mnesilochus enim inter chori mulieres consedit. Proprium obtinet locum Vesparum parodus, quam Bdelycleone servoque ante portam dormientibus chorus canit; neque Bdelycleo neque Mnesilochus in canticis respiciuntur. In nova denique comoedia semper — quoad iudicare possumus — histrionibus de scaena remotis chorus canit; sae-

---

1) Cf. L. Radermacher in praefatione ad Oedip. Col. p. 12 sq.

2) Etiam Lysistratae; cf. vs. 707.

pius videtur poeta chori introitum ita fingere, ut personae catervam comissantium veritae domum suam se recipiant [1]).

Iam apparet, quemadmodum factum sit, ut stasima decursu temporum quo diutius eo minus coniungerentur cum actione episodiorum. Si histrio in scaena permanere solitus esset, certe chorus canens personam condicionemque, in qua versaretur actio dramatica, respicere coactus esset neque umquam illa cantica Euripidea ab argumento fabulae longe aberrantia oriri potuerunt. Immo non solum in tragoedia, quae uno utebatur histrione, scaena vacua fieri debuit, sed etiam in fabulis et Aeschyli et Sophoclis Euripidisque semper fere vacua in scaena stasima decantata sunt. Itaque non mirumst, quod Hecubae Troadum Menelaique Helenae contra consuetudinem in scaena permanentium rationem non habet chorus; iamiam cantica ab actione fabulae nimis erant diiuncta vel, ut aliter rem exprimam: tragoedia iam dilapsa erat duas in partes, ex quibus erat composita, in ludum histrionalem et in chori cantica, quae duo elementa veram in unitatem nisi Aeschyli in Agamemnone redacta erant numquam.

Veteris comoediae cantica fabulae actione multo etiam magis abstinuerunt quam tragoediae; chorus ad auditores se vertere et *ὀνομαστὶ κωμῳδεῖν* solet. Vix de conexu canticorum cum actione praesertim quod attinet ad comoedias vetustiores sermo esse potest [2]). Et in nova comoedia, quamquam quid cecinerit chorus actionis plane expers, dicere nequimus, cum nihil canticorum nisi illud signum *ΧΟΡΟΥ* nobis servatum sit, tamen haec ipsa nota satis nos docet, quantum ponderis et auctoritatis perdiderit chorus comoediae.

---

1) Cf. Perik. 71 sq. fabul. incert. II 32 sq. (p. 211); vide etiam Fr. Leo Herm. XLVI (1911) p. 293. — Similiter iam Dicaeopolis Amphitheusque Acharnensium, simulatque conspexerunt chorum in scaenam irruentem, fugae se mandant.

2) Cf. Guilelmum Süß *Neue Jahrbücher 1910 p. 410.*

V. De Phrynichi Phoenissis.

Prologum sequitur parodus ut in omnibus tragoediis sic in Phoenissis Phrynichi. Prologum autem loquitur eunuchus quidam. Traditur enim in argumento Aeschyli Persarum Mediceo in codice prima manu scripto: *Γλαῦκος ἐν τοῖς περὶ Αἰσχύλου μύθων ἐκ τῶν Φοινισσῶν Φρυνίχου φησὶ τοὺς Πέρσας παραπεποιῆσθαι. ἐκτίθησι δὲ καὶ τὴν ἀρχὴν τοῦ δράματος ταύτην*

Τάδ' ἐστὶ Περσῶν τῶν πάλαι βεβηκότων [1]).

πλὴν ἐκεῖ εὐνοῦχός ἐστιν ἀγγέλλων ἐν ἀρχῇ τὴν Ξέρξου ἧτταν, στορνύς τε θρόνους τινὰς τοῖς τῆς ἀρχῆς παρέδροις· ἐνταῦθα δὲ (i. e. in Aeschyli Persis) *προλογίζει χορὸς πρεσβυτῶν.* Introit igitur post prologum eunuchi in scaenam hisque in sedibus considit imperii Persarum consilium principum neque ulla dubitatio esse potest, quin agatur de consilii publici conventu. Nunc autem delabimur in difficultatem quandam: titulus enim tragoediae, qui probatur fragmentis nobis servatis [2]), chorum Phoenissarum hac in tragoedia docet cecinisse. Quoniam igitur post prologum parodum exspectare debemus, non solum illos senes sed etiam statim eodemque fere tempore chorum mulierum introisse in scaenam concludere inviti cogimur. Cum in parodo unus tantum chorus ingredi possit, illos principes mutas esse personas suspicati sunt viri docti. Haec sententia hodie omnium est communis opinio [3]), quam imprimis sustinet Wilamowitzius [4]). Sic enim ratiocinatur: „*wenn ihnen* (sc. senibus) *Sitze bereitet wurden, so saßen sie auch, tanzten also*

1) Cf. Aesch. Pers. vs. 1 *τάδε μὲν Περσῶν τῶν οἰχομένων.*

2) Frg. 9 N. (p. 722) *Σιδώνιον ἄστυ λιποῦσαι*
καὶ δροσερὰν Ἄραδον ...
et frg. 10 *καὶ Σιδῶνος προλιπόντα ναόν ...*

3) Cf. E. Bethe *Proleg. p. 188.* G. Christ-Schmid l. c. p. 269. Ceterum Phoenissas fuisse paelices regias suspicatur Schmid verisimilius, quam Wilamowitzius, qui de viduis cogitat militum Phoenicum, qui pugna navali interciderunt.

4) Herm. XXXII (1897) p. 391 sq.

nicht, sondern waren Statisten, wie die Areopagiten in den Eumeniden. Das bestätigt sich dadurch, daß der Chor aus Phoenikerinnen, also den Witwen der gefallenen Seesoldaten bestand". At neque argumentatio 'senes sedent, ergo non saltant' neque exemplum Areopagitarum Aeschyli Eumenidum neque confirmatio 'chorus constat ex mulieribus' satis rei facere mihi videntur. Quis enim nobis dixit semper sedisse illos senes? Et saltare potuerunt, simulatque in orchestram sunt ingressi et priusquam in sellis consederunt, itemque, postquam aliquod per tempus sederunt, surgere potuerunt et saltare. Quin Danaides Aeschyli aliquandiu sedeant, nemo dubitat nec dubitare potest; tamen est chorus [1]). Atque titulus tragoediae Phrynichi *Σύνθωκοι*, sive congruit cum Phoenissis sive alterius tragoediae titulus est [2]), ipse iam confirmat chorum posse sedere paulisper; an quispiam contendat mutis a personis sumptum esse titulum fabulae? Areopagitae autem, qui sane habent consilium in scaena, cum pro se loquentem habent Athenam — quem autem pro Persarum principibus locutum esse cogites? — tum non post prologum prodeunt in scaenam i. e. illo tragoediae loco, quo chorum ingredientem exspectamus. Chorus denique mulierum, quem traditum esse certissime nemo negat, nullo modo nos impedire potest, quin d u o c h o r o s hac in Phrynichi tragoedia exstare colligamus [3]); neque enim ita raro accidit, ut duo canant chori in una eademque tragoedia [4]).

Quicumque animo sibi effingit ludum scaenicum, cum nullum exemplum ex tragoediae Graecae reliquiis proferre possit, per se non verisimile esse primo conspectu concedet post prologum eunuchi primum principes introisse in scaenam atque magno cum silentio consedisse in sedibus, quas

---

1) Cf. p. 5 sq.

2) Cf. G. Christ-Schmid l. c. p. 269 adn. 1.

3) Duo choros intrasse iam concluserunt F. G Welcker *Die griechischen Tragödien 1839 I p. 25 sq.* et J. Burckhardt *Griechische Kulturgeschichte III p. 211.*

4) Cf. Wilamowitzium Eur. Heracl. II (1909) p. 116 adn. 12 et A. Müller *Die griechischen Bühnenaltertümer 1886 p. 176.*

omnium sub oculis spectatorum singularem in modum prologi persona stravit pulvinis, ac tum chorum mulierum hunc in conventum tacitum consilii publici irrupisse. Quid mulieres canticum parodi canentes in consilio publico obstinatum silentium obtinente? Rationem ullam mulieres habere illorum senum venerandorum putabis an non? Quodsi illos respici a feminis concedis, quemadmodum colloqui chorum opinaris cum personis mutis? Forsitan unum ex illis senibus loqui suspicaberis? Tum autem eo, quod unum inter pares ex muto loquentem facis, tibi persuade te iam creasse ex muto non solum loquentem, sed etiam coryphaeum et senum ex grege chorum. Neque enim ulla persona in tragoediis Graecis inveniri potest, quae sit prima inter pares nisi coryphaeus. Iam mihi videtur esse demonstratum illos senes post prologum introeuntes non turbam mutorum hominum fuisse, sed chorum canentem; chorus enim Phoenissarum muto hoc cum consilio eandem in scaenam cogi nequit.

Certe hi duo chori non eodem tempore in scaena adsunt. Hoc tantum dici potest: post prologum primo chorus principum ingreditur in scaenam atque causa, de qua agebatur in consilio, erat clades Salaminia, quam Susa esse iam nuntiatam prologus testatur. Num Atossa in consilium venerit Aeschylusque personam regis matris ex Phrynichi tragoedia receperit, ex qua Glaucus Rheginus *τοὺς Πέρσας παραπεποιῆσθαι* tradit, pro certo disceptare nequimus. Postea chorus Phoenissarum in scaenam introit; et apud Phrynichum suspicor Xerxem in exitu demum tragoediae redeuntem non cum senibus, ut in Aeschyli Persis, sed cum mulieribus alterno cantico lamentatum esse de exercitus classisque interitu [1]).

---

1) Frg. 11 N. = Athen. 14, 635 C *ψαλμοῖσιν ἀντίσπαστ' ἀείδοντες μέλη* utrum coryphaeo senum an Phoenissarum sit tribuendum, latet in occulto; participium masculini generis exitu quod terminatur, non impedit, quominus ad chorum mulierum referatur; cf. Aesch. Suppl. 38. 204, quos locos P. Wendlandi ex lectione affero. Uberius egerunt de hoc usu Wilamowitzius Eur. Hippolyt. p. 230 sq. et E. Bruhn in vol. VIII editionis Sophoclis tragoediarum p. 1.

Primis in tragoediae Graecorum originibus histrio videtur sexu seiungi a choro: colloquitur enim vel vir cum feminis (quae est forma colloquii vetustior): Danaus cum filiabus, Xerxes cum Phoenissis, Eteocles cum mulieribus Thebanis, Oceanus — ut supra [1]) suspicatus sum — in Prometheo genuina cum filiabus; vel cum viris femina: Atossa cum senibus.

1) Cf. p. 10.

Vita.

Paulus Aemilius Iohannes Graeber Guilelmi f. natus sum anno 1888 pridie Idus Apriles in oppidulo provinciae Rhenanae, cui nomen est Heissen, matre Guilelmina de gente Fröhlich. Profiteor fidem evangelicam.

Litterarum primordiis imbutus sum Sedini, ubi parentes mei abhinc plus viginti annos habitant. Inde vere anni 1906 maturitatis testimonium adeptus almam matrem petivi Gryphiswaldensem meque Alfredus Gercke, Ericus Pernice, Ludovicus Radermacher studiorum elementis philologicorum instruxerunt. Eiusdem anni autumno civibus adscriptus sum academiae Georgiae Augustae Gottingensis. Praeter sex menses hiemales a. 1908/9, per quos Berolini ex lectionibus Hermanni Diels, Caroli-Friderici Lehmann-Haupt, Johannis Vahlen, Udalrici de Wilamowitz-Moellendorff multa magnaque didici, usque ad mensem Aprilem anni 1911 fui Gottingae; tum opificum Thesauri linguae latinae in numerum ascitus Monacum transmigravi.

Omnibus viris illustrissimis bene de me meritis, praecipue Gottingensibus Busolt, Dilthey, Körte, G. E. Müller, Pohlenz, Schwartz (nunc Friburgensi), Smend, Titius, Wellhausen magnam debeo gratiam praeterque hos Jacobo Wackernagel et Paulo Wendland. Et cum imprimis Fridericus Leo viam rationemque studiorum me docuerit, Gottingae me esse imbutum litteris semper animo grato recordabor.